Petrus morbr

IOANNIS RAMI, I. C. ACVtissimi celeberrimique

COMMENTARIORUM IN OMNES REGVLAS JVRIS, TAM CIVILIS, QVAM

Canonici, eleganti ac singulari methodo, universæ Iurisprudentiæ Oeconomiam, Locorumque Communium dispositionem & enodationem, artificiosè complectentium,

LIBRI DVO:

NVNC PRIMVM IN GRATIAM IVRIS Candidatorum, adiecto Indice duplici ac varietate characterum, ornatiùs editi:

Opera & studio

IOANNIS FORSTERI, IC. PALATINI.



FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. DC. VI.



CLARISSIMO ET CONSVLTISSIMO VIRO, D. IACOBO KELLNERO,

I. V. Licentiato, Domino & amico suo observando.

PLerosq; mirari scio, Vir Clarissime, quænam caussa sit ambiguitatis & obscuritatis in amplissimo nostri Iuris studio, qua innumeros nō sine mœrore vadimonium deserere, & absterreri planè ab eo videmus, sed caussam nobis huius rei aperit Latinæ Eloquentiæ Pater, Cicero, qui de Iurisprudentiæ arte & Legibus acutissimè disputans, inquit: Sed Iuriscōsulti, sive erroris obiiciendi caussa, quò plura & difficiliora scire videantur, sive (quod verisimilius est) ignoratione docendi, (nam non solum scire aliquid, artis est, sed quædam ars etiam docendi:) sæpè quod positū est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur: Et alibi. Nam veteres verbotenus acutè illi quidem, sed nō ad hunc usum popularem atq; civilem de Rep. differebant. Hinc patet huius ob-

ſcuritatis cauſa, quia ſcilicet Iureconſulti ab aliquot annis non rectè docuerunt, partim vana ſpe gloriæ, partim ignorantia ſeducti.

Nec enim forum aut politiarum conſtitutiones attenderunt, neque ſuam docendi methodum ad civilium negotiorum uſum accommodarunt, quid abolitum, quidve mutatum eſſet, unquam obſervantes.

Sic ea quorum inter homines in ſocietate politica maximus uſus eſt, aut planè omiſerunt, aut erronea tradentes, obſcurarunt potius, quàm explicarunt & manifeſtarunt.

Hunc errorem ut corrigamus, fugere & cane ac angue peius deteſtari oportet, immodicam illam rixandi libidinem, & res civiles, tàm publicæ quàm privatæ, ad diſcentium ingenium & vires ſimpliciter, & omni ambiguitate remota explicentur & tradantur. Verùm adhibita methodo accurata & artificioſa, inſpectis & declaratis prius veris fontibus divinæ Iuſtitiæ, & Iuris, quæ divinæ voluntatis præcepta, ceu certam & infallibilem regulam, humani iuris poſitiones ſubſequantur, & tanquàm ancillæ dominæ longè veſtigia adorent.

Quæ cum ita ſeſe habeant, præclaram ſanè operam navaſſe viſus mihi eſt, acutiſſimus Iuriſconſultus Ioannes Ramus, iuſtitiæ & iuris ſcientiæ orna-

ornatißimus, qui hac methodo Oeconomiam universi nostri Iuris, certis & usitatis regulis comprehensam, conscripsit, ubi per brevißima locorū communium capita, Regularum utriusque Iuris, ita incedit, ut in duas principes partes, alteram de ipso iure, alteram de iuris obiectis, personis, scilicet rebus & actionibus discedat. Regulas verò generales, & quæ nullo certo in loco collocari possent, libro primo abundè & doctè collocavit, explicavit, illustravit. Reliqua quæ ad personas, res & Actiones pertinere visa sunt, libro secundo sic complexus est, ut nulla omninò tàm Canonici, quàm Civilis Iuris dari possint, quæ non ad aliquod horum trium perpetuis quasi iuncturis applicetur.

Hæc sanè dispositio, tùm in aliis multis, tùm in eo maximè erit utilissima, quod Cynosuræ & Locorum Communium instar, iuris studiosis sit futura, quos privatim quisque, cum usus erit, locuplet, &, tùm quod timidis adhuc ingeniis, & quæ non sine periculo vastissimo iurisprudentiæ campo se credere solent, præter mirandam rerum copiam & varietatem, tractus etiam quosdam & itinera sternent, per quæ pedetentim difficilioribus assuescant, ne aliquò usque progreßi parvis facilè succumbant tempestatibus.

Hoc opusculum dignitate sanè, præstantia &

doctrina, quam continet eximium, cum quorundam precibus adductus, literariæ Reipublicæ typis meis reddere propero, amplissimo T. Exc. nomine id à Zoilorum morsibus tutius futurum sum arbitratus, quin & eventurum speravi, fore, ut reliqui, Amplissima T. Exc. moti libentius id quoque suscipiant.

Quod igitur restat, T. Exc. utpote iurisperito præstanti, præstantis Iurisconsulti fœtum, offero, dedico, consecro, obnixè rogans, T. ut Exc. eum serena fronte suscipiat, meumq; hoc studium & animi promptitudinem boni consulat, suiq; amplissimi Nominis compellationem pro summa sua humanitate dextrè accipiat. Vale vir clarissime, & me amare perge. Dabantur Francofurti 29. Mar. anno partus virginei 1606.

Excellent. & Præstant.
T. Addictissimus.

Iohannes Spies, Typographus
Francofurtanus.

INDEX REGULARUM EX PANDECTIS, QUA QUÆQUE PAGINA INVENIRI POSSIT.

INDEX

INDEX AXIOMATVM PRIMO LIBRO CONTENTORUM.

37. de

INDEX AXIOMATUM, LIBRO Secundo contentorum.

ΑΧΙΩΜΑ

ΑΞΙΩΜΑΤΩΝ
SIVE
COMMENTARIORUM AD REGULAS UTRIUSque Iuris, nova Oeconomia per locos communes incedentium, Enchiridion.

AXIOMA I.

TRIA sunt in omnibus disciplinis præcipua locorum communium capita: *Inventio*, quæ est ingenii: *Iudicium*, quod rationis: *Memoria*, quę rerum ipsarum. Priùs enim inveniendæ res sunt, tunc de inventis judicandum, *Agricol lib. 1. de inventione*, postremò fideliter omnia memoriæ committenda, *Quintil. lib. 10. instit. orat.* Nam Platoni tantum quisq; scit, quantum memoriâ tenet. Inventioni & judicio serviunt, tum alia pleraq;, de quibus apud Dialecticos, tum maximè definitiones & divisiones. Memoriæ servit Regula.

AXIOMA II.

De definitione & divisione.

Iavolenus, *Reg. 202. Omnis definitio in iure civili est periculosa, rarum est enim ut non subverti possit.* Hoc responsum pro tituli conditione est accipiendum, *argum. l. imperatori de in diem*

adiect. vt sit regula, non verò jus constituat *l. regula axio. seq.* hoc est, vel ostendat quales ferè sint definitiones, quibus pro tempore & loco ad Iuris & Injuriæ disceptationem finiendam vsi sunt Prudentes, non verò quales secundum præcepta Dialecticorum (ad quos exactarum definitionum cura pertinet) esse debeant. Neque enim facultas Iureconsultis defuit, aptè singula, si voluissent, definiendi, vti ex Iustitiæ, Nuptiarum, Tutelæ, Obligationis, & aliis plerisq; definitionibus apparet: sed quando id nõ fuit omnino necesse, cõtenti fuerunt, qualemcunq; rei propositæ notitiam descriptione, *l. 1. de dol. l. 1. de vulga. l. 1. de precatio. ff. de test. ord. in prin.* vel Etymologiam fecisse, *l. 1. de acq. poss.*

AXIOMA III.

De regula.

Ait Paulus, *Reg. 1. Regula est, quæ rem quæ est, breviter enarrat, non vt ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est, fiat regula. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (vt ait Sabinus) quasi causæ coniectio est, quæ simul cùm in aliquo vitiata est, perdit officium suum.* Tunc enim rem quæ est breviter enarrat, quandó vel causam aliquam generalem proponit, quam in variis controversiis decidẽdis secuti sunt Prudentes (quales sunt omnes ferè regulæ generales) *l. in omnibus quidem, l. Iure naturæ. l. in dubiis. in hoc tit.* vel quando ipsa quoq; singularia diversis locis in jure occurrentia propter aliquam similitudinem, quam habent

ad in-

ad invicem, in vnum corpus memoriæ gratia colligit, *l. fœminæ. l. actus, l. contractus.* quam Sabinus, *hac l.* vocat causæ coniectionẽ, sumpta metaphora ab oratoribus; *Asconius in Verrem Ciceronis.* qui vel in principio obiter summam totius causę conjiciunt, vt attentum faciant auditorẽ: vel in fine, vt eum memorem dimittant. Atq; ita regula tempore posterior est quàm Ius, sic vt meritò, non Ius ex Regula fiat, sed ex Iure quod est, ad memoriã sumatur regula. Quemadmodum apud Grãmaticos (apud quos omnia maiorum autoritate nituntur) *Horat. de arte poët. in princ.* præcepta seu regulæ nõ faciunt vsum, sed vsus præcepta. Sunt autem regularum (vt ex his quæ dicta sunt haberi potest) aliæ *Generales*, aliæ *Speciales.* Et quidem primò de Generalibus.

AXIOMA IIII.

De regulis generalibus.

Regulæ Generales sunt, quæ per totũ Ius sine certo aliquo determinatoq; loco, aut argumento diffusæ sunt. Quarum aliæ circa *Ius strictum* versantur: aliæ verò circa *æquum & bonum.*

AXIOMA V.

De jure stricto.

Ius strictum, est Ius in genere latum, quodq; eodem tenore stringit & complectitur omnia, nihil cõnivens ad facti circũstantias, *l. pe. de const. pec.* vnde fit vt illis secũ alias rationes afferẽtib. statim incipiat iniquũ esse, vt eis ius strictũ

applicetur, *l. bona fides Depositi.* Et hoc est quod aiunt, *Terent. in Andria, Cic. lib. 1. offi. & in l. si servum, §. sequitur de verbo. ob.* Ius summum, summam sæpè injuriam esse. Vt ecce, reddere depositum in genere est æquum; at insano homini gladiũ depositum reposcẽti, iniquum erit restitui. Et hu pertinent illæ regulæ, quarum prior est Pauli, *Reg. 187. Non omne quod licet, honestum est.* Illud licere dico, quod secundum Ius in genere latum, non inspectis cæteris facti circunstantii ab honesto, natura, vel vtili recedentib. *arg. d. l bona fides, & §. si vxor in fide nup. §. sed & maior de his qui sunt sui,* videtur esse permissum & fieri posse vt in deposito gladio, de quo priùs. Altera e Modestini, *Reg. 158. Semper in conventionibus no solùm quid liceat considerandum, sed & quid honestum* Neq; enim potest quicquam esse justum, quo cum honesto pugnet, *§. Iuris præcepta. de Iustit. e Iure. & d. §. si vxor.* aut à natura recedat, vel de niq; non sit vtile, vt ex Iuris præceptis poste riùs ostendemus.

AXIOMA VI.

De AEquo Bonoq;.

Huius argumenti tractatio in duo capita di cedit: Quid sit illud quod æquum bonumq; v catur: tum circa quæ versetur. Nihil autem e aliud æquũ & bonum, quàm temperamentu quoddam ex media Philosophia sumptũ, qu stricti Iuris rigori & injuriæ, collatis & appẽ

int

inter se facti circumstantiis, occurritur, *d.l.bona fides,l.plac.C.de iud.* Et hoc testãtur hę regulę: primùm Pauli, *Reg. 91. In omnibus quidem, maximè autem in Iure spectanda est æquitas.* Illud enim est æquitas in singulis casibus, & in specie, quod ius strictum in genere, *l.iur.2.de legis & Se.* in quo etiam tacitè, tanquam species genere, cõtinetur. Nam cùm Ius strictum vel in genere latum jubet reddi depositum, nihil nisi quod iustum & honestum est, intelligit. Neq; enim potest iustum esse quicquam, & idem turpe aut inhonestum, *s. axio.præced.* Omnes igitur illi casus, quibus sit iniquum reddi depositum, qui à legislatore propter rerum singulariũ multitudinem exprimi non potuerunt, *l.non possunt, de legi.* tacitè ab eo jure per Legislatorẽ sunt excepti, quã exceptionẽ æquitas (quæ circa individua versatur) explicat, idq; per interpretationem vel Prætorũ, vel Principium, vel Prudẽtum. Quomodo autem à stricto Iure per æquitatem recedere liceat, duæ docent regulæ, duas æquitatis species diversas proponentes, aliam Iuris, aliam facti. Iuris quidem æquitatem notat Paulus, cùm ait *Reg. 86. §. finali. Quoties æquitatem desiderij naturalis ratio, aut dubitatio Iuris moratur, iustis decretis res temperanda est.* Quoties, inquit, desiderii naturalis ratio, hoc est, naturalium causarum conflictus, qualia sunt honestum, natura, & vtile, *1.de Iuris princ.axio.8.cum sequent.* aut dubitatio Iuris, hoc est, controversia

ex contrariis aut dissimilib. prudentum sententiis emergēs, §.*cū ex aliena, de re. divis.* moratur æquitatē, hoc est, impedimento est, quo minus res decidi possit, tum *iustis decretis*, hoc est, aliqua perpetui juris parte, qualia sunt lex, plebiscitum, senatusconsultum, Constitutio Principis, aut deniq; prudentum interpretatio, §. *constat, de Iure naturali gen.* res temperāda est, id est, finiēda & explicanda controversia est: Quod Iustinianum fecisse legimus, qui cōtroversias ante se prudentum sententias, & dissensiones sui nominis autoritate editis, Pandectis compescuit *l. 2. C. de vet. Iure enucle.* Ideò verò Paulus ista vocat justa decreta, quod ea præcipuè Ius agnoscat & probet, *d. §. constat.* quemadmodum Iustæ nuptię, Iusta pacta. Facti verò ęquitatē Marcellus notat, cùm ait, *Reg. 144. Etsi nihil facile mutand. sit ex solen. tamē vbi æquitas evidens poscit, subven. est.* Hic not. justis decretis subvenire, jur. esse: at verò simpli. subvenire facti: & sic Prætor ad æquitatē cōtendit, quando in integrū restituit, *l. 1. de minor.* ex edictis suis actionem dat, ad bonorum possessiones admittit, quæ omnia, eorum comparatione quæ merè juris sunt, in facto consistunt, ideòq; nec mutant quicquam in solennibus, hoc est, merum Ius non *l. cùm sponsus, §. fi. de publicia. l. 1. de feriis.* tollunt, sed tantùm de facto moderantur & temperant Iuris illius perpetui rigorem, *l. placet, C. de iudic.* qui sine injuria, facti circū stantiis præsentibus applicari nō poterat.

AXIOMA

AXIOMA. VII.

Circa quæ versetur æquum bonumq́;.

Duo maximè sunt, in quibus omnia ferè juris & æquitatis interpretatio revoluitur: Principia juris, & Positiones. In omni enim disciplina sunt principia quædam, quibus sponte sua etiam homines imperiti, sine vlla probatione & doctrina assentiuntur: ex quo genere, exempli gratia, sunt hæc: Neminem lædere, Suum cuiq; tribuere, Fidem alteri datam servare, Benemerentibus gratiam habere, *Cicero lib 2. officio.* quę qui negat, ineptior est, quàm vt cum eo disputetur, *Aristot. in Topicis.* Ita verò circa hæc æquum bonumq; versatur, quòd ex horum invicem conflictu & contentione totum jus sit compositum, vt quando honestas cum vtilitate vel natura, vel jure in genere lato, item publicum privato *l. filiusfa. debis qui sui l. census de pollici.* pugnat, tum temperamento æquitatis est opus, vt quod justiore ratione constat, id in cõtentione superet, *Hopperus de arte iur. lib. 2.*

AXIOMA VIII.

De juris principiis, & præceptis.

Tria sunt juris & injuriæ principia: Honestum, Natura, Vtile, *Cic. lib. 3. offic.* Quicquid enim huiusmodi est, vt cum horum aliquo peccet, id continuò desinit esse justum,

 adcò

adeò hęc cum iusto naturaliter sunt coniuncta, vt non possit quicquam esse justum, quod non idem sit etiam honestum, *l. non omne, sup. axio. 5.* aut honestum, quod sit contra naturam: aut deniq; naturæ congruum, quod dissonans & alienū sit ab vtilitate, *d.l. iure natur. 1.* & ideò ista etiā principia vocamus, quæ ex triplici iure, nempe naturali, Gentium, & Civili puto descendisse. Nam honestas naturæ respondet, secundū naturam enim dicuntur esse quę sunt honesta, *d.l. iure naturæ, & Cic. lib. 2. offi.* Natura verò, Iuri gentium: Vtile autem, vtriusq; juris est, gentium & civilis. Multa enim gentium jure ob vtilitatem sunt constituta, multa etiā jure civili, vt in sequentibus apparebit.

AXIOMA. IX.

De honesto, seu primo Iuris præcepto.

Honesto (cui conforme est illud juris præceptum honestè vivere) contrarium est turpe: vnde si quid est turpe, id vel eo solo, quòd ab honestate recedit, fit iniustum, *d.l. non omne.* Huius generis sunt in jure multa. Turpia promissa: Iuramentum contra bonos mores. Item & ea, quæ præcipitanter & inconsideratè vel dicta sunt, vel facta: ac deniq; fidei violatio, quæ quia honestè non fiunt, nec justè fient. De turpibus promissis est, *Can. 69. In malis promissis expedit fidem non servari.* Et de juramento contra bonos mores itidem in Canonibus, *Can. 58. Non est ob-*

est obligatorium contra bonos mores præstitũ iuramentũ, nõ magis quàm turpis promiſſio. De his verò quæ aliquo animi calore, hoc eſt, ſine conſilio, magisque impetu quàm conſilio fiunt, tale eſt Pauli reſponſum, *Reg. 29. Quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quàm ſi perſeverantia apparuerit iudicium animi fuiſſe. Ideoq; brevi reverſa vxor, nec divertiſſe videtur.* Ira, inquit Horatius, *in epiſt.* furor brevis eſt, meritò ergo perinde nullum eſt, vt à furioſo factum. Dat exemplum cùm ait, ideoque, &c. Quam rem intellige de vxore, quæ ſumma animi perturbatione excitata, divertit à marito. Et quia tempus ſolet adimere ægritudinem hominibus, *Terent. in Heaut.* ideò brevi reverſa, videtur nec divertiſſe. Sed & fidei violatio turpis eſt atque inhoneſta, & penitùs ab omni humanitate aliena, *l. 1. de Pact.* ex qua omnes regulæ manaverunt. In Canonibus, *Can. 21. Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* Incivile eſt enim temerè diſtrahi & variare conſilijs, maximè in his quæ redundatura ſunt in alicuius iniuriam, vnde Papinianus, *Can. 76. Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius detrimentum.* Et iterum in Canonibus, *Reg. 33. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Tunc autem alius detrimentum ſentire dicitur, quando ex cõſiliorum commutatione aliquid iuris eſt ei deceſſurum. Vt ecce, ex Iudicis ſentẽtia, victori contra alterum ius eſt acquiſitum,

l.actori. C. de reb. cred. ex contractu hinc & illinc nata est obligatio: ex aditione hereditatis impletæ sunt vires testamenti, & heres iamdudum legatariis creditoribusq; factus est obnoxius, *§. heres, de ob. ex quasi con.* nō poterit ergo vel Iudex sententiam revocare, *l. Iudex. l. Paulus de re iud.* vel is qui ex contractu debitor est, ab eo discedere, *l. sicut. C. de actio.* vel deniq; qui hereditatē adiit, eam repudiare. *l. sicut. C. de repud. hered.* Sin verò quis ita improbus sit, vt fidem datā servare recuset, cum ius ita punit, vt ei contra eundem quem ipse fefellit, ob fidem non servatam, deneget actionem. Vnde illa regula, *Can. 75 Frustra sibi fidem quis postulat servari ab eo, cui fidem à se præstitam servare recusat.* Quemadmodum & aliàs quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure vti debet, *vt in tit. π. quod quisque iuris &c.* Et hactenus quidem de honesto, deque his quæ cum eo pugnant.

AXIOMA X.

De natura.

Secundum principiorum est natura: Cuius duplex est consideratio: altera naturalis & propria: altera iuris gentium, *tit. de iure naturali, gent. & civili in princ.* Et quemadmodum quod cum honesto pugnat, fieri non potest vt sit iustum: ita quod à naturæ legibus dissentit, impossibile est vt iure valeat, ita vt meritò eos execrari solitus sit Socrates, qui hæc natura

vnita

vnita & coniuncta, opinione distraxissent, *Cic. lib.3.offic.* Et quidem ex priore illa naturæ consideratione omnia manaverunt, quæ ius ideò non probat, quòd vel in genere sint contra naturam, vel in specie.

AXIOMA XI.

De his quæ contra naturam sunt, in genere.

Ait Celsus, *Reg.149.§.final. Quæ rerũ natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.* Ars enim naturam imitatur quàm potest proximè, *§. minorem, de adoptio.* vnde nec adoptionis ratio patitur vt maior à minore adoptetur, aut vt is tutelam gerat, qui rebus suis ipse nequeat superesse, *§. item ma. de exe. tuto.* nusquam probatum est: aut, vt quod in rerum natura non est: aut impossibile est, ex promissione, aut testamento debeatur: talia sunt in iure sexcẽta quæ nulla lege, hoc est nec Prætoris imperio, nec iudicis officio, nec legis potestate confirmata, *l. actiones, de actio. & obligat.* id est, recepta aut agnita sunt.

AXIOMA XII.

De his quæ contra naturam sunt, in specie, seu de impossibilibus.

Impossibilium non vna species est, nam alia facto impossibilia sunt, alia iure. Facto quidem,

vt est digito cœlum attingere, §. *si impossibilis. de inutil. stip.* Chimeram præstare, *d. tit. in pro.* & similia: quæ quia (vt dixi) à natura dissentiunt, iusta quoque esse desinunt. Hinc illæ regulæ, *Reg. 145. Impossibilium nulla est obligatio.* Et in Canonibus, *Can. 6. Nemo potest ad impossibilia obligari.* Et iterum in π. Vlpianus, *Reg. 178. Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur.* Quod in vltimis voluntatibus, legatis, fideicommissis & libertatibus sub impossibili conditione relictis, plerunque accidit, §. *impossibilis. de hered. inst.* idque ob singularem harum causarum favorem, *l. in testamentis, inf. hoc tit.* qui postulabat vt valerent potius quàm corruerent. Alioqui verò in cæteris rebus (vt in contractibus) ludere potius quàm aliquid agere contrahentes voluisse præsumuntur, qui sub impossibili conditione quicquam egerint, *l. non solùm, de actio. & obligat.* Simile est illud Vlpiani, *Reg. 143. Quod nullius esse potest, id vt alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere.* Huius generis sunt res sacræ, religiosæ & sanctæ, §. *nullius, de rerum divi.* quæ propter symbolum divinitatis quo affectæ sunt, habentur inæstimabiles (divinorum enim cum humanis nulla est proportio, *l. sunt personæ, in fi. de religios.*) meritòque omnem ferè commercij causam effugiunt. Nam quòd emptio rei sacræ valeat, *l. & liberi, de contrab. empt.* §. *fin. de empt.* id ideò est, quòd illi contractui sola traditione

(qua

(quæ facti est) satisfiat, *l. ex empt. de act. empt.* non verò necesse sit vt eum venditor faciat accipientis. Sed & facta impossibile est esse infecta, *l. in bello, §. factæ. de capt.* Vnde Vlpianus, *Reg. 32. Verum est neque pacta, neque stipulationes factum mutare posse. Quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, vt vtilem actionem aut factum efficere possit. Vtilem*, hoc est, efficacem stricto iure: nam ex æquitate, & per interpretationem, secus est, *l. si ita quis stipulanti, de evictio.* Et hæc de his quæ facto sunt impossibilia, quorum exemplo leges vocant & illud impossibile quod contra ius fieri quis velit, aut quod turpe est, aut cum honestate pugnat, *l. filius, de condit. insti.* De turpibus, dictum est priùs. De altero verò talis prodita est Regula, *Can. 64. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* Nam non obligant, nec effectum vllum sortiuntur, *l. non dubium, C. de leg.* non magis quàm quæ ipsa per se natura sunt impossibilia.

AXIOMA XIII.

De altera naturæ inspectione, secundum ius gentium.

Sunt alia quædam (non quidem ex natura ipsa) sed ex naturali ratione ad confirmandam hominũ inter ipsos societatem manantia, quæ partim secundo iuris præcepto continentur,

partim

partim in analogia commodi & incommod consistunt. Ergo de secundo iuris præcepto dicamus.

AXIOMA XIV.

De secundo iuris præcepto.

Secundum iuris præceptum est, alterum non lædere, quod ad plurima iuris capita refertur, quemadmodum apparebit ex regulis subsequentibus, ait. *Reg.206. Iure naturæ æquum est neminem cum alterius iactura & detrimento fieri locupletiorem.* Iure naturæ, id est gentium, vt Cicero, *lib.* 3. *offic. cap. 3.* interpretatur, nam si sic erimus affecti (inquit) vt propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse erit eam, quæ maximè secundum naturam est humani generis, societatem. Cui consonat ille Canon, *Can.48. Locupletari non debet aliquis cum alterius iactura vel iniuria.* vnde statim in specie consequitur illa Vlpiani regula, *Reg.77. §. final. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* Sed & illud ad conservationem societatis pertinet, quod ait Papinianus, *Reg. 158 Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Quod ita intelligo, vt scilicet nec alteri quisquam recta via noceat, nec cum alio quisquam talia tractet, vnde tertius aliquis sentiat incõmodum, *l. sæpe constitutum, de re iud.* nec deniq; quod quisq; deliquerit, in alium quàm authorem ipsum reci-

cipro-

:iprocet: *l.crimen de pœn.* & hinc omnes illæ re-
;ulæ tanquam ex fonte manaverunt. *Reg. 198.*
'actum cuique suum, non adversario suo nocere debet,
juod vsu venire poterat in mora, & in deli-
ctis. Nam & in mora illud æquum visum est,
juod in Canonibus est, *Can. 25. Mora sua cuique*
st nociva. Et in *π. Reg. 134. §. penult. Vnicuique sua*
iora nocet, quod & in duobus reis promittendi obseruatur:quod postea latius interpretabimur. In de-
ictis quoque idem visum est æquum vt in au-
horem suum redundent. Vnde ille Canon,
'an. 66. Delictum personæ non debet in damnum Eccle-
æ redundare. & in *π Reg. 139. Neq; in interdicto, ne-*
ue in cæteris causis, pupillo nocere oportet dolum tuto-
is, sive solvendo est, sive non est. Vt ecce, obstrinxit se
adimonio pupilli nomine tutor, cessavit obi-
e: nónne hîc iniquum esset ex dolo aut negli-
;entia tutoris pupillũ in pœnam deserti vadi-
nonij incidere? *arg. l. 1. §. si rẽ. per quẽ fact. erit.* Sed
: illud turpe est & contra naturam, vt ex odio
juod quis adversus alium concepit, alius ini-
uiore conditione prematur: vnde Canon, *Can.*
2. Non hâbet aliquis alterius odio prægravari. Quid
nim si mater odio matri filium exheredet, *l. si*
uis in suo. §. legis C. de inoff. test. aut in filium inno-
entem pars paterni supplicij statuatur? *d. l. cri-*
ien. Durum sanè sit illud & inhumanum, *Cicero*
i epist. ad Brutum. eoque nomine etiam iniu-
um.

AXIOMA XV.

De analogia commodi & incommodi.

Ait Paulus, *Reg. 10. Secundum naturam est commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntu incommoda*: quod iustitiæ distributivæ est, *Aristot. in moral.* per quam omnia ad analogiam hoc est, iustam proportionem rediguntui Nihil enim æquè ad conservationem rerur pertinet quàm æqualitas, qua sublata, *Cic. lib. & 3. offic.* necesse erit omnia velut vna ruina in terire. Et hanc regulam convertunt Canones, *Can. 55. Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & contrà.* Hinc est, quòd qui successioner exspectat, non possit onus tutelæ, nisi cum iniuria detrectare, *l. 1. §. interdum. de leg. tut. l. quo. tutela. 1. eo.* & contrà. Nam alioqui frequentissim est in iure, eum qui in vno gravatur, in alio ru sus sublevari, *l. eum qui, de Iureiuran.* Non est hi absimile illud Pauli, *Reg. 192. Ex qua person quis lucrum sentit, eius & factum præstare debet, cùm mater. C. de rei vend.* Sic heres omnia quæ de functus fecit, seu vtilia sint, seu onerosa sustine re debet. Sic dominus ex contractu & facto in stitoris perinde tenetur, vt ex suo.

AXIOMA XVI.

De vtili seu tertio iuris præcepto.

Tertium principiorũ est vtile, quod latissi mè per omne ius diffusum est; nam & in 12. tal

propo

propositum est illud, Salus populi suprema lex esto, *Cic. lib. 2. de leg.* & in tertio iuris præcepto, Ius suum cuique tribuere, in quo & ipso totius Reipub. vtilitas & conservatio continetur, vt ne quid fiat, quod non sit tum singulis, tum omnibus vtile. Multa enim in speciem possunt esse iusta, quæ tamen non sunt Reipub. privatim, aut in genere vtilia, atque ob id etiam minus iusta, *§. cum in suo. de re. divis. l. in re mandata. C. mand. iunct. §. sed & mai. de his qui sui.* Nam qui vtilitatem à iure separant, perinde affecti sunt, vt ij qui nullum scelus lucri cupiditate non audeant aggredi. Paucis igitur de vsu huius principij dicamus.

AXIOMA XVII.

De vsu tertii principiorum.

Quando in aliquam difficultatē incidimus, in qua ius cum vtilitate pugnat, *d. §. sed & maior*, tum ea res interpretatione adiuvanda est, & ius cum vtilitate vniendum, *§. constituitur, de vsufr. §. rectè de mandat.* quo casu non tam vtilitas vincere ius dicetur, quàm quod in ipso iure est, sua sponte sequi vtilitatem: quòd fit quatuor præcipuè modis, per fictionem, repręsentationem, præsumptionem, & coniecturam.

AXIOMA XVIII.

De fictione.

Summa & vtilitas est fictionum, & necessi-

tas, *Bart. ad l. si is qui pro emptore, de vsucapio.* eaq; v plurimum legislatores vtuntur ad perpetui illius, & meri iuris conservationem, *l. pe. de iustit & iure.* neve in vllam absurditatem (dum conciliare vtilitatem cum iure conantur) incidant Talis est illa fictio legis Cornelię & Postliminii *§. si ab hostibus. quib. mo. ius pup. sol. l. Cornelia. in fi. d testa.* quæ sunt Civiles. Sunt aliæ Prætoriæ, v cùm fingitur vsucepisse qui nō vsucepit, *§. nam quæcunq;, §. seq. de action.* & similes: quarum propriam indolem & naturam in arte sua eleganter expressit Hopperus, *de arte iuris. lib. 2.*

AXIOMA XIX.

De repræsentatione.

Quemadmodum in successionibus ob vtilitatem nepos in avi successione repræsentat patrem in medio defunctum, *§. cùm filius, de her. qu ab intesta. defer.* vt cum patruis superstitibus a successionem veniat, fingiturque eiusdem gradus esse cum eis, qui revera tamē vno gradu e remotior: Ita interdum ob vtilitatē, dolus re præsentat vel possessionem, vel rem, vel conditionem, vel factum: Item & culpa, nonnun quam rem. Summa enim factorum invicem cognatio est & similitudo, & vt ius facilè iuri loco per repræsentationem fungitur, ita factum repræsentat factum, vel res rem.

AXIO

AXIOMA XX.

De dolo, possessionem repræsentante.

Ait Paulus, *Reg. 174. Qui dolo desierit possidere, ro possidente damnatur, quia pro possessore dolus est.* ingitur enim adhuc possidere, vt salvo iure *rg. d. l. penult.* civili maneat pristinis actionibus bnoxius, quæ dirigi in eum tanquam posses-orem, stricto iure non poterant: & in Canoni-us, *Can. 36. Pro possessore habetur, qui dolo desierit ossidere, l. sin autem, §. sed et si, de rei vend.*

AXIOMA XXI.

De dolo rem repræsentante.

Ait Vlpianus, *Reg. 199. §. 1. Semper qui dolo fecit 'o minus haberet, pro eo est, ac si haberet*: & iterum, *eg. 193. Parem esse conditionem eius qui possideat vel beat, atque eius cuius dolo malo factum sit, quo mi-s possideret vel haberet, l. si bonæ fidei, de noxa acti-* on incommodè hæc prẹter alia, etiam ad fru-us negligentia malæ fidei possessoris nō per-ptos, *l. si navis, de rei vend. l. domum, C. illo. tit.* ferantur, quemadmodum & illa Papinia-i regula, *Reg. 79. Generaliter cùm de fraude sputatur, non quid habeat actor, sed quid per adver-rium habere non potuit, considerandum.* Omnis im vtilitas in actionem deducitur, fraude ac olo, rem etiam quæ nunquam percepta t, repræsentante: qui sanè maximus est re-

præſentationis effectus. Nam quemadmodum res faciliùs cōtinuatur, *in ſuis de tit. & poſth.* quàm de integro fiunt, ita facilior eſt repræſentatio eorum, quæ aliquando poſſeſſa ſunt, quàm quæ nunquam.

AXIOMA XXII.

De dolo conditionem repræſentante.

Ait Canon, *Can. 66. Cùm ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet pro impleta, l. Mævia. an lega. l. ſi ita heres de cond. inſti.* & in π. Papinianus Iureconſultus, *Reg. 122. In iure civili receptū eſt, quoties per eum, cuius intereſt conditionem non impleri, fiat quo minus impleatur, perinde haberi debet, ac ſi impleta conditio fuiſſet. l. cùm quidam. §. ex quacunq. C. de cond. inſert.*

AXIOMA XXIII.

De dolo factum repræſentante.

Ait Pomponius, *Reg. 40. In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorreſcit, quo minus fiat, l. is. quo tempore. §. qui verò. C. de his qui pe me, iud.* Improbitate ſcilicet adverſarij, repræſentante id quod facere alius debebat.

AXIOMA XXIV.

De culpa rem repræſentante.

Ait Pomponius, *Reg. 203. Quod quis ex ſua culpa damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire*

§. quan

§.quantitas.de leg.Falci.§.pe.quib.mo.re. Nec quicquam ei abesse damni nomine intelligitur: vt qui spreto inventarij beneficio damnosam hereditatem adivit, perinde solida legata præstat, atque si plena esset hereditas, poterat enim ab initio non adire, vel inventarij beneficio indemnis esse. *l.fi.C.de iur.delib.*

AXIOMA XXV.

De facto factum repræsentante.

Facta quoque inter se mutua vice funguntur, quemadmodum & aliàs dolus cum dolo facilimè compensatur, *l. si ambo.de compensat.* & fingimus quod factum ab alio est, perinde atque si ab eo factum esset, qui non fecit, vnde in Canonibus, *Can.82. Qui fecit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.* Et in π. Vlpian. *Reg. 141. Quod iussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipse solvisset, vel ipsi solutum esset.* Eiusdem argumenti sunt aliæ multæ regulæ tum in Canonibus, tum in π. Sed malui eas ad tractatum mandati & ratihabitionis reservare. Illud tamen adjiciemus, quòd interdum factum pro nõ facto fungatur, *l.qui non facit.i.eo.* nam & sub facti nomine generaliter intelligimus etiam non factum, seu culpam omittendo cõmissum, & ideò huc pertinere videbatur illa regula, *Reg.135. Qui potest facere vt possit conditioni parere, iam posse videtur.* Sicq; potẽtia faciendi quodãmodo rep̄sentat factũ.

AXIOMA XXVI.

De re quæ rem repræsentat.

Ait Paulus, *Reg. 15. Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Habetur enim quod peti potest. *l. id apud se, de verb. sig.* adeò vt etiam in bonis esse dicatur, *l. rem in bonis, de acqui. re. do.* non quidem revera, sed tantùm per interpretationem & repræsentationem, nam aliàs naturaliter Pomponio teste, *Reg. 205. Minus est actionem habere, quàm rem.* Propterea videlicet, quòd multa accidere possint, vt licèt actionem habeas, rem tamen non consequaris, *arg. §. illud quæsitum, de re divis.* fortè ob inopiam debitoris, *l. nam is, de dolo.* aut dubium litis eventum, *l. quod debetur de pe.* Simile est quod interdum vterus partum ipsum repræsentat, vnde illud Celsi, *Reg. 138. Si quis prægnantem vxorem reliquerit, non videtur sine liberis decessisse.* Revera tamen adhuc non habet liberos, quia qui nati non sunt, adhuc nō sunt, *l. fi. de collat. bo.* & hoc illud est, quod frequēter qui in vtero sunt, pro natis habeantur, *l. qui in vtero. de sta. ho.* Nec mirum est rerum invicem functionem esse, cùm & persona personæ vice fungatur: sic heres defunctū repræsentat, *de stip. servo. in princ. in Institut.* verùm de his iam satis.

AXIOMA XXVII.

De præsumptionibus.

Præsumptio nihil aliud est, quàm probabi-

lis

lis quædam coniectura in rebus dubijs, sumpta ex causis vel naturalibus (vt cùm præsumitur quisque plus facere liberis suis & coniunctis ac necessarijs quàm extraneis, *l. cùm alienam. C. de lega. l. si totas, C. de inoffic. donatio.* sua magis quàm aliena curare, *l. præses, C. de ser. & aqua.* & mille talia) vel ex causis verisimilibus, cuius generis sunt ea ferè omnia quæ posterius de coniectura dicemus. Et hi Canones, *Can. 8. Semel malus semper præsumitur esse malus* : donec videlicet contrà probatum sit: quemadmodum & aliàs in Canonibus, *Can. 48. Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur.* Quod de facti ignorantia, *arg. d. l. verius.* non iuris intelligo. Iura enim sua natura sunt publica, quasi videlicet à toto populo profecta, quorum nihil potest esse clam aut privatum.

AXIOMA XXVIII.

De coniectura seu interpretatione.

Coniectura & interpretatione vtimur in quæstione scripti & voluntatis. *Quin. lib. 7. & Cic. ad Heren. lib. 1.* hoc est, quando non eodem verba tendũt, quo voluntas & sententia. Estq; omninò duplex, Captiosa & Civilis.

AXIOMA XXIX.

De coniectura seu voluntatis interpretatione captiosa.

Ait Iulianus, *Reg. 66. Ea est natura cavillationis,*

(*quam Græci σόφισμα appellant*) *vt ab evidenter veris, per breviſſimas mutationes, diſputatio, ad ea quæ evidenter falſa ſunt, perducatur.* Breviſſimas mutationes voco captiones illas, ſeu elenchos, quādo vel mutatis literis corrumpitur vocis ſignificatio, vel tranſpoſitis dictionibus aut commatis, aliorſum derivatur orationis ſententia. Cuius generis referti ſunt apud Ariſtotelem elenchorum loci, & apud Iureconſultos, tractatio de rebus dubijs, *tit. de reb. dub.* vt ſi quis Amphibologia, Aequivocatione, Coniunctione, Diviſione adverſarium circumvenire conetur, & in iure omnia illa quæ Aphricanus, *l. qui quadringenta. ad leg. Falcid.* dixit τῶν ἀγχῶν τοῦ ψευδομένου eſſe, hoc eſt, ex apicibus fruſtratorii cavillatoriique ſyllogiſmi.

AXIOMA XXX.

De coniectura & interpretatione Civili ac minimè captioſa.

Civiliter & probabili modo voluntatis coniecturam facimus, vel ex natura ipſarum rerum: vel ex ſignis: vel ex verbis ipſis: vel deniq; ex mente.

AXIOMA XXXI.

De coniectura & interpretatione ex natura ipſarum rerum.

Hoc coniecturæ ſeu interpretandi genus rationa-

tionativum *d. lib. 7. in princip.* à Quintiliano vocatur, summasq; continet in jure contentiones, & facit vt alter scripto nitatur, alter non satis cautum esse dicat. Vt cautum est de toto, an idem sit de parte: Aratrum accipere pignori nō licet, quid igitur, si vomerem quis acceperit? Contrà, si de parte cautum sit, an eadem habeatur in toto ratio? Lanas vehere Tarento non licet, quid si quis oves vexerit? Tales sunt in Genere & Specie: Toto & partibus: Pluri & minore: Principali & accessorio: Antecedente & consequente: Priore & posteriore: privatione & habitu, contentiones: Inter quæ tam naturalis invicem est habitudo, vt vel naturaliter cohæreant, & sint quodammodo, vel saltem ex invicem sequantur, vt in singulis ostendemus.

AXIOMA XXXII.

De genere & specie.

Ait Caius, *Semper generalibus insunt specialia.* Qui ergo de genere loquitur, species tacitè nominavit, quemadmodum & aliàs, hominis legatum (quod generis legatum est) orationis compendio singulos homines complectitur, *l. cùm incertus, de leg. 1.* Qui verò de vna aliqua specie loquitur, is cæteras sub eodem genere contentas species non dissimulanter excludit, *l. vxorem, §. felicissimo, de leg. 3.* & vt in Canonibus est, *Can. 34. Generi per speciem derogatur*, & Papinianus.

Reg.80. In toto iure generi per speciem derogatur, & illud potißimum habetur quod ad speciem directum est.

AXIOMA XXXIII.

De toto & partibus.

Ait Caius, *Reg. 114. In toto pars continetur*: & in Canonibus, *Can. 80. In toto partem non dubium est contineri.* Totum enim ex partium aggregatione coit & componitur, quod in artificialibus quidem (vt domus) partibus suis est natura posterius: In naturalibus verò (vt homo) sunt pars & totum natura simul, *l. rerum mixtura, de vsucap.* Et rursus harum quędam divisę à toto, sunt invtiles, vt pars fundi, quædã invtiles, vt pars Stichi *l. 2. de ver. oblig.* quod addidi, vt paucis animadvertas nec partes semper eodem modo inesse toto, nec eandem quoq; partium esse naturam.

AXIOMA XXXIIII.

De pluri & minore.

Ait Paulus, *Reg. 111. In eo quod plus sit, semper inest minus.* Et in Canonibus, *Can. 31. Plus semper in se continet, quod est minus.* Plus earum propriè rerum est quæ quantitate, tempore, loco vel caussa variant, *§. plus de actio.* inter quæ ad minus quod attinet, magna est diversitas. Nam fideiussor qui in plus quãtitate fideiusserit quàm principalis obligatur in concurrentem summam, *l. 1. §. stipulans*

pulanti de verb.oblig. at qui reliquis modis, omnimodò nõ obligatur, *l.Gracè.§.illud,de fideiuſ.* Idẽ in ſtipulatione eſt, in qua ſi promiſſor quantitate mutet interrogationẽ, obligatur, *d.§.ſi ſtipulanti.* Sin verò qualitate, hoc eſt, tempore, loco, vel cauſſa, nihil *§.præterea de inu.ſtip.* agit: fortè propterea quod numerus ſit quãtitas diſcreta, *Ariſt.in Categor.* & ideò facilè fieri, vt is qui minorem ſummam nominaverit, videatur ſingulas minores quoq; nominaſſe. Cætera verò cõtinua, vnoq; ſpiritu (vt ait Pomponius) *l.rerum. de vſucap.* contenta, & ideò ſi dividantur, iam nõ eadem, ſed alia videri & formam mutaſſe. Illud autem ad interpretationem voluntatis in hoc argumento pertinet, quod ait Vlpianus, *Reg. 22. Non debet cui quod plus eſt licet, non licere quod eſt minus:* & in Canonibus, *Can. 53. Cui licet quod plus eſt, licet vtique quod eſt minus.* Vnde manant iſtæ ſpeciales Regulæ Vlpiani, *Reg. 124. Cui ius eſt donandi, eidem & vendendi & concedendi ius eſt.* Plus eſt enim donare, quod profuſionem quandam patrimonii continet, *l.filiusfam.de donat.* quàm vendere, (quod adminiſtrationis & vtilitatis eſt, propter pretium) *l. actionum genera, de actione & obligat.* aut cedere, quod amicitiæ eſt, vt in commodato & precario, *lege prima, de precar.* Et illa, *Cùm quis poßit alienare, poterit & conſentire alienationi.* Quod fit per ratihabitionem, *Reg.126. Cui autem donare non conceditur probandum, vt nec*

ſi in

si in donationis causam consenserit, ratam eius voluntatem habendam. Exemplum sit in prodigo & pupillo, quibus curatores non ad profundendum patrimonium, sed ad conservandum sunt *l. 1. de Lusurio, & tit. de aut. tuto. in princ. in Insti.* adhibiti vnde ad vtilitatem prodigi aut pupilli maxime pertinet, vt ne quidem donare volenti, consensum præstare possint. His adde illud Vlpiani, *Reg. 100. Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multo magis quis dixerit.* & in Canone *Can. 71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.* Vno sanè casu omnes hæ regulæ officium suum amittunt, nimirum quoties facultatem eius quod plus est non ex se quisq;, sed aliunde, & ex aliena authoritate accepit, qua verecundius est vtendum non verò vt propria, *l. more, de iuris.* Sed & illud Vlpiani responsum, huius est argumenti: *Qui potest invitis aliquibus alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest.* Exemplum est in creditore pignus alienante.

AXIOMA XXXV.

De principali & accessorio.

Ait Canon, *Can. 42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Nam quemadmodum vna eademq; res diverso jure censeri non *l. eum qui, de vsucap.* potest, non magis quàm hominem possibile est pro parte hominem esse, & parte piscem, sic necesse est, vt duabus rebus invicem

vnitis,

nitis, altera in alterius indolem commigret: im verò quia principale venit maximè in conderationem, *arg. l. quæritur; de sta. hom.* fit vt ei inquam digniori concedat accessorium, & in ius naturam commutetur, *§. si tamen alienam, de r. divis.* quod diligenter nota, nam eò spectant erè omnia quæ in Institutionibus de rerum ivisione traduntur. His cõsequens est, vt prinipali corruente, corruat & accessorium. Vnde Vlpianus, *Reg. 139. Cùm principalis causa non consi-stit, plerumq; nec ea quidem quæ sequuntur, locum habent.* Idq; propter naturalem rerum inter se cõnexionem, nec magis possibile est accessorium ine principali esse, quàm accidens sine subiecto in quo est, *l. 1. Com. præd.*

AXIOMA XXXVI.

De privatione & habitu.

Fertile & plurimi vsus est illud in jure axioma, quod Privatio præsupponat habitum *l. decem. de verb. obli.* Vnde intestatum propriè dicimus, qui cùm posset, testamentum tamen non condidit: in quam rem incidunt pleræq; Regulæ, & primùm illa Vlpiani, *Reg. 84. Non videtur rem amittere, cuius propria non fuit.* & illa Pauli, *Reg. 108. Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.* Et illud Vlpiani responsum, *Reg. 3. Quod quis si velit habere non potest, repudiare non potest.* Nam vt idem ait, *Reg. 3. Eius est non velle, qui potest & velle.*

AXIOMA

AXIOMA XXXVII.

De coniectura seu interpretatione ex signis.

Ex judiciis & signis pulchrè Quintilianus, *lib. 5. cap. 9.* docet argumenta & coniecturas duci, vtpote cùm ex coloris mutatione, facinoris conscientiam colligimus (hinc illud Terentii, Erubuit, salva res est) vel ex taciturnitate, consensum. Vnde Canon, *Can. 43. Qui tacet, consentire videtur.* Quod signum non est necessarium, nec per se efficax ad probationem consensus, *l. Caius de pig. act. l. Tit. §. Lucia de leg. 2.* ita cæteris adiunctum facit fidem. Nam qui in ea caussa est vt contradicendo rem propositam impedire possũt, is vtiq;, si tacet, consentire videtur, *l. fideiuss. §. pater de pigno. l. quoties. ad Municip.* Si nequit impedire, tum quia per se taciturnitas nõ sufficit, nec debet res inter alios acta nocerere aliis, *l. sæpè de re iud.* fit vt videatur nõ cõsentire. Quod pulchrè explicat Paulus, *Reg. 183. Qui tacet, nõ vtiq; fatetur, & tamen verum est eum non negare:* & in Canonib. *Can. 44. Is qui tacet, non fatetur, sed nec vtiq; negare videtur.* Sicq; fit vt tacere sit quodammodò medium inter fateri & negare, *l. 1. scien. de trib.*

AXIOMA XXXVIII.

De coniectura ex verbis.

Ait Vlpianus, *Reg. 45. Semper in stipulationibus & cæteris contractibus id sequimur, quod est actum.* Neq; enim coniecturis aut interpretatione est opus,

opus, vbi de voluntate constat, *l. Labeo. de sup. leg.* Consentit autem cum hac Regula ille Canon, *Contractus ex conventione legem accipere dinoscuntur.*

AXIOMA XXXIX.

De conjectura ex mente: seu de Obscuro & Ambiguo.

Ex mente coniectura nihil est aliud, quàm illa cuius tam celebris & multa est apud Rhetores mentio, quæstio scripti & voluntatis, *Quint. lib. 7.* quando videlicet aliò voluntas, aliò verba trahunt. Quę quidem res facit, vt incidamus in ambiguum, aut obscurum ambiguo simile *Solon ad l. omnes populi. de iusti. & iure.* quę quàm recipiant interpretationem, palàm facient regulæ subiectæ, secundum hæc capita incedentes. Nam inprimis hoc genus interpretationis ex eo pendet, vt consulamus authorem ipsum, qui sententiam protulit ambiguitate sua vacillantem. 2. Si eius copia non habeatur, tum ex verisimili eius affectione judicemus. 3. Si nec illa satis appareat, tum videndum est quid res præsens postulet. 4. Si & de illo dubitetur, consultum est ad loci consuetudinem recurrere. 5. Hac quoq; destituti, ad Regulas benignitatis, tanquam ad Cynosuram nautæ respiciemus. Nunc ad singula.

AXIOMA XL.

De interpretatione ambigui ab authore.

Ait Mætianus, *Reg. 97. In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est eius, qui eas protulit* Exempli loco sit illud Celsi responsum, *Reg. 152 Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi vi. venti Cæsar rescripserat, iam defuncto dedisse existimaretur, Respondit: Non videri sibi Principem, quod quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: Quem tamen modum beneficij sui esse vellet, ipsiu æstimationem esse.*

AXIOMA XLI.

De interpretatione ambigui à verisimili.

Ait Paulus, *Reg. 115. In obscuris inspici solet, quo est verisimilius, aut quod plerunque fieri solet.* Et in Canonibus, *Can. 46. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerunque fieri consuevit.* Id enim verisimilius hîc est, quod plerunq; & vulgò fieri solet, *arg. l. pretia, ad leg. Falcid.* Sed & ad ipsam authoris affectionem verisimilitudo nonnunquam refertur, hoc est ad ea vt plerunq; in huiusmodi rebus solet esse affectus, & ad rationem quàm ipse in talibus rebus sequi solitus est. Vnde Vlpianus, *Reg. 129. §. final. Quod factum est, cùm obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem* Exempla sunt in jure passim obvia, tum prior *l. cum alimenta, de ali. legat. l. se cui, de an. leg. l. si qu*

inten

intent. de iudi. tum posterioris, *l. cùm rem alienam, C. de le. l. si mater, C. de inoffi. test. l. si pater dotem, C. de promissis*, generis.

AXIOMA XLII.

De interpretatione ambigui à rei præsentis oportunitate.

Ait Iulianus, *Reg. 68. Quoties idē sermo duas sententias exprimit, & potissimùm accipitur, quæ rei gerendæ est aptior.* Et hoc est quod vulgo dicitur; verba esse secundum materiam subiectam accipiēda, *l. Imperator. de in diem adiect.* & illud quod verba hîc interpretanda sint, vt valeat potiùs negocium quàm vt pereat, *l. quoties de reb. dub.* Regulæ inprimis vtiles, & multi vsus.

AXIOMA XLIII.

De interpretatione ambigui à Consuetudine.

Ait Vlpinanus, *D. Reg. 35. Vnde si non appareat quid actum est, consequens erit, vt id sequamur, quod in qua id actum est, frequentatur.* Nam vt consuetudo est optima legum interpres, *l. si de interp. de leg.* ita & contractuum & negociorum.

AXIOMA XLIIII.

De interp. ambigui ex locis benignitatis.

Loci Benignitatis sunt multi & varii: nam modò Benignitatē in genere: modò quod minimū est sequimur: modò quod favorabilius, modò deniq; quod stricto juri convenientius:

AXIOMA XLV.

De benigna interpretatione in genere.

Ait Caius, *Reg. 75. Semper in dubiis benigniora sequimur.*

Et Vlpianus Iureconsultus, *Reg. 129. Capienda occasio est, quæ benignius præbet responsum.* Benigniora voco in contractibus quidem quę debitori, *l. veteribus de pact.* in vltimis voluntatibus quæ heredi, *l. cùm tempus i. eo.* in judiciis, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabilores, i. eo. l. Arrianus de act. & oblig.* patrocinantur, vt quã minimùm oneretur. Sed & in summa omnes loci qui de interpretatione sequũtur, hinc tanquam ex fonte manaverunt: nam quando quod minimum est sequimur, quando item quod favorabilius vtiq; benigniora secuti dicimur, quod genus interpretationis Marcellus ait, & justius esse & tutius, *Reg. 153. § final. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, no minus iustius est, quàm tutius.* Perinde vt tolerabilior est, qui lenitate peccat, quàm qui crudelis est, *Seneca de beneficiis,* hic culpa est, ibi tantùm negligentia.

AXIOMA XLVI.

De benigna interpretatione qua quod minimum est sequimur.

Ait Canon, *Can. 30. In obscuris quod minimum est sequendum est.* Et Vlpianus, *Reg. 11. Semper in obscuris quod minimũ est, sequimur.* Et rursus idem *D. Reg. 35. in fi. Si neq; mos regionis appareat, quia varius est, ad id quod minimum redigenda summa est.* Exẽpla nunc

quam non sunt obvia, in omnibus ferè juris articulis, præterquam in legatis, vbi jubet Paulus *l. legato generaliter, de leg. 1.* mediocritatem teneri; hoc est, nec optimum dari nec pessimum, sed quod sit mediocre.

AXIOMA XLVII.

De benigna interp. qua quod favorabilius est sequimur.

Quod favorabilius est, sequimur in omnibus ferè juris articulis, nimirum in causa libertatis, in causa dotium, in testamentis, in judiciis, in contractibus, in pœnis, in cõflictu causæ lucrativæ cum onerosa, in conflictu partis & totius, taciti & expressi, vtilis & inutilis, in odiis & favoribus, in conflictu duorum malorũ.

AXIOMA XLVIII.

De benigna interp. in causa libertatis.

Ait Vlpianus, *Reg. 21. Quoties dubia est libertatis interpretatio, secundum libertatem respondendum est.* Et iterum, *Reg. 140. In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.* Id enim summus favor libertatis & odium contrà servitutis meretur, vt accedente ad alteram partem favore, cedant in conflictu & vincantur odia; *l. cùm inter, C. de lib. ca.*

AXIOMA XLIX.

De benigna interp. in causa dotium.

Ait Paulus, *Reg. 86. In ambiguis pro dotibus respondere*

dere melius est. Quia videlicet expediat Reipub. dotatas esse mulieres, *l.1.sol.matrimo.* tum vt marito in sustinendis oneribus matrimonii illinc succurratur, tum etiam vt ne soluto matrimonio, & bonis mariti ad agnatos jure Civili euntibus, vxor inops & egena marito sit dedecori, *l.aut præterea, C.vnde vir & vxor.*

AXIOMA L.
De benigna interp. in testamentis.

Ait Paulus, *Reg. 12. In testamentis, plenius voluntates testantium interpretamur.* Interest enim Reipublicæ exitum habere defunctorum voluntates, *l.vel negare.quemad.test.ape.* Exemplum huius rei est apud Paulum, *Reg. 17. Cùm tempus in testamento adiicitur, credendum est pro hærede adiectum, nisi alia mens fuerit testatoris, l.si ita relictum, §.Pegasus. de leg.2.l.in fideicommiss.de vsu. sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus adiicitur.* Bona comparatio: nam & heres ad legata & fideicommissa quod attinet, debitor est, cui plerunq; favorabiliores sunt leges, quàm creditori, *d.l.Arrianus*

AXIOMA LI.
De benigna interp. in judiciis.

Ait Caius, *Reg. 168. Favorabiliores rei potius quàm actores habentur,* Et in Canonib. *Can. 11. Cùm sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quàm actori.* Proniores enim sunt leges ad absolutioné quàm ad cōdemnationem *d.l.Arrianus.* & huius

quidem

quidem regulæ multi & magni ſunt effectus. Nam ex eodem favore pēdet & Vlpiani reſpõſum, *Reg. 42. Non debet actori licere quod reo non permittitur.* Et in Canonibus, *Can. 33. Non licet actori, quod reo licitum non eſt.* Sed & ad onus probationis hic favor pertinet, quod favore rei ſemper in actorem rejicitur, *l. verius de proba.* quod elegāter, ſed obſcurè expreſſit Pomponius, *In eo quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri petiturus eſt, durior eſt cauſa petitoris.* Petitorem voco eum qui aſſerit, & ex ſua aſſertione ad lucrum & victoriā cauſæ contendit. Notum eſt enim quòd reus in excipiendo partes actoris ſuſtineat, *l. in exceptionibus de probat.* & ideò niſi & ipſe ſuam intentionem exceptione probet, nihil ei proderit exceptio, eritq; eo nomine eius conditio durior. Is quoq; poſſidet, quia rei partes ſuſtinet, in cauſa favorabiliori eſt. Vnde Paulus, *Reg. 171. In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.* Et Vlpianus, *Reg. 169. Cùm de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſſa poſſidentis.* Neq; id in Civilibus tantùm judiciis, *l. quoties, C. de re. ven. l. ſi ea res, §. vtriq;. de actio empt.* verùm etiam in delictis: Hinc ille Canon, *In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* Qua quidem in re non eum tantùm poſſidere dico, qui rē aliquam poſſidet, ſed & illū, qui ex quacunq; cauſa ſe defendit, qui eſt juris & libertatis ſuæ quodāmodo poſſeſſor, vt eleganter Vlpianus, *Reg. 191. Cùm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur cauſſa poſſeſſoris.*

Hoc est, caussa eius qui cõvenitur, semper alioqui taciturus tanquã suæ libertatis possessor, si priùs nõ fuisset impetitus, *l. si duo, de dolo, l. domũ, in fi. de cont. empt.* Subijcit exemplũ Vlpianus: *Sicut cùm de dolo excipitur petitoris, neq; enim datur talis replicatio petitori, (si non rei quoq; dolo in ea re actũ sit:)* subjicit rationẽ, quia videlicet, *illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.* Nã alioqui periculum erit, ne dolus cum dolo compensetur, *l. si ambo, de compensatio.*

AXIOMA LII.

De benigna interp. in contractibus.

Ait Canon, *Can. 57. Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Is legẽ contractui dixisse videtur, qui id proponit, in quod est communi contrahentium voluntate cõsensum, seu petat, seu petitioni priori non acquiescens, aliud offerat, quemadmodum in judiciis is qui excipit, eatenus etiam actoris partes sustinere dicitur, *l. in exceptionib. de probat.* Vt ecce, Commodato dari sibi Stichum servum petit Sempronius. Quid si is, à quo petitur, habeat eius nominis duos? aut si petitioni non acquiescens, offerat equum sibi Tarento allatum, acceptetq; alter: sint autem allati Tarento equi duo? certè hoc casu fiet interpretatio contra eum, à quo petitur, & erit electio commodatarii: illo verò casu erit eius à quo petitur, *arg. huius.* Planè in stipulatione, emptione, locatione, & in judiciis secus est. In stipulatione quidem q;

non

non possit à promissore lex dici, vt qui promittere tantum debeat, alter verò stipulari, *l. quicquid astringendæ, de ver. obli.* adeò, vt diversitas responsionis totam vitiet stipulationem, *§. præterea, de invt. stip.* Ideo verò in locatione & emptione diversum est, *l. vet. de pact.* quòd locator & emptor solū pretium & mercedē sibi quęrant, rē videlicet nullis captionibus aut deceptioni obnoxiam, *arg. l. incendiū, C. si cert. peta.* in vno ergo gravatus emptor, sublevatur in altero, *eū qui, de iureiur.* Et hoc illud est quod ait Iulianus, *Reg. 133. In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est: ambigua autem intentio sic accipiēda est, vt salva sit actori.* Quæ postrema responsi verba, testantur illud quod antè diximus in judiciis quoq; diversum placuisse: nam intentionem hîc accipio pro quavis petitione actoris in judicio, *vt in l. si quis intēti. de iud.* quæ ideò sic accipiēda est, vt salva sit actori, ne videlicet judicia reddātur illusoria, *l. solemus, d. tit. l. inter stipulantem, §. si Stichum, de ver. obl.* Nec sanè pugnat cum his, quod priùs dictum, *s. axio. pro. præce.* favorabiliores esse reos quàm actores, & cùm partiū jura sunt obscura, reo favendum esse potiùs quàm actori. Nam illę regulę de ambiguo quod circa ius oritur, sunt accipiendæ: hæc verò de eo quod nascitur ex facto.

AXIOMA LIII.

De benigna interpretatione in pœnis.

Ait Canon, *Can. 49. In pœnis benignior interpreta-*

tio facienda est. Et Paulus, *Reg. 107. In pœnalibus causis benignius interpretandũ est.* Quod non est sic accipiendum, vt cùm de delicto cõstat, benignius habeãtur malefactores (interest enim Reipub. vt suppliciorum acerbitate & exemplo minuatur facinorum frequentia, *)l aut facta, de pœn.* sed ita, vt si vel de delicto vel delicti specie non satis aperta sit probatio, tum ita potiùs, vt vel nullum, vel inter plura, quod minus infame delictum sit *l. hæ enim, de suspe. tut. l. 1. ad le. Iu. de priva.* verborũ ambiguitatẽ interpretabimur, idq; ex regula generali, quæ jubet bonum præsumi quẽq;, donec probetur malus, *duaũ de præsumpt.*

AXIOMA LIIII.

De benigna interpretatione in conflictu causæ lucrativæ cum onerosa.

Ait Vlpianus, *Reg. 42. §. fin. In re obscura, melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro.* Hic ante omnia est figura observãda, favere repetitioni, pro eo quod est favere illi qui repetit suum: favere adventitio lucro, hoc est favere ei qui advẽtitium lucrum actione persequitur. Vt ecce contentio est inter tot diversi generis creditores, vt bonis ad omniũ obligationes dissoluendas nõ suffecturis, meritò dubites, q quibus in solutione sint anteponendi. & ait Vlpianus, *repetitioni*: hoc est illis, qui vel suum, vel quod ex oneroso aliquo contractu eis debetur, *l. in honorariis, de actio. & obli.* repetunt, favẽdum esse, potiùs quàm *adventitio lucro,* id est illis, qui adventitium

itium lucrum persequuntur, *l. subsignatum*, §.*i.* *ę ver. sig. arg.* §.*sed quia.* & §.*si quis vna, de fide. con. ha.* uiq; ex mera debitoris liberalitate actionem unt consecuti, nimirum ex testamento, donao, alijsq; id genus modis.

AXIOMA LV.

De benigna interpret. in conflictu totius & partium.

Ait Vlpianus, *Refertur ad vniversos, quod publicè it per maiorem partem.* Ait, (refertur ad vniveros) hoc est, censetur omnium sententijs aprobatum) quod publicè fit per maiorem parem, *l. quòd maior pars, ad Munici. l. nemo.* §. *hoc edictū, le testa. tutel.* Maiorem autem partem voco, quæ el numero vincit, vel dignitate, *arg. l. quæritur le sta. hom.* vnde à toto populo leges fiunt, §.*lex, le iure nat. & civili.* idque in Aristocratia, & hæc enatusconsulta vocantur. Sed & ea quæ à solo rincipe sunt constituta (qui Monarchiā exeret) tenent & ipsa totum populum, vt qui vnierſam suam potestatem in solum principem ontulerit, sicque solus totum populum prineps repræsentet. *l. 1. de const. princ.* At verò Plebicita licèt & ipsa legis authoritatem nonnunuam habuerint, quia tamen Ochlocratia, viium Reip. *Aristo. in Polit.* est, ratū est vt id ad vnierſos referatur. Iam verò quod vel à maiore, el saltem meliore populi parte factum est, fa-

cilè accidit vt à toto populo factum videatur, nam alioqui, vt in Canonibus est, *Can. 29.* *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Hoc est, omnes in id consentire debent, vel expressè, vel tacitè: huc pertinet & illa Pauli regula, *Reg. 191.* *Cuius effectus omnib. prodest, l. quæ de tota, de rei vend. eius partes ad universos pertinent.* Eadem enim est partis ratio, quæ totius.

AXIOMA LVI.

De benigna interpretatione in Tacito & Expresso.

Ait Modestinus, *Reg. 156.* *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Exemplum ex alio Modestin responso proponamus, *Reg. 78.* *Actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio datio tutoris, in totum vitiatur per temporis, vel conditionis adiectionem.* Expressa enim nocent. *Nonnunquam tamen actus suprascripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehensa vitium afferunt.* Dat exemplum *Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis cõditio extiterit: quæ si nominatim verbis acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.* Ideò autem inter actus legitimos hi fere soli conditionem non recipiunt, quòd scilicet præsens factum contineant, & statim characterẽ imprimant, *arg. l. eum qui solvendo, de acq. here. & l. [illegible], de opt. lega.* quod factum si suspenditur cõditione

litione, iam impossibile erit, vt effectum consequatur, non quidem impræsentiarum, propter conditionem quæ suspendit actum, *§. ex conditionali, de ver. oblig.* non etiam tunc cùm exstiterit conditio, quia tunc id non agitur, nec fit, factumq; præteriit, ex quo ille character imprimi debebat. Secus est in obligatione, quæ de in futurum dando, faciendoque semper concipitur, *l. 3. de acti & oblig.* quemadmodum & heredis institio, quæ non ideò fit, vt statim heres sit qui instituitur, sed demum post mortem, *l. 1. de est.* atque ita tractu temporis ista constant, vnde tam obligationes, quàm heredis institutio sub conditione fieri possunt, *§. omnis autem, de ob. & §. heres, de here. instit.* Est huius argumenti alia quoque regula in Canonibus, generalius de actibus legitimis definiens, quàm possit esse vera, ait enim, *Can. 50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neq; diem.* Notum est Dialecticis indefinitam significatione vniversalē esse, *l. si servitus, de servi. vrb. præd.* at quis nescit actus legitimos esse qui diei vel conditionis adiectione non vitientur, *d. §. heres. & l. si tibi, de adoptio.* sed meminisse oportet regulam esse, non verò legem, nec ius facere, & simul atque in aliquo vitiata est, perdere officium suum. *l. regula, hoc tit.*

AXIOMA LVII.

De benigna interp. vtilis & inutilis.

Ait Cano. *Can. 37. Vtile non debet per inutile vitiari.*

tiari. Rationem huius ex illa regula, quæ & ipl est eiusdem argumenti, non intempestivè su mas. Nimirum, quia, *Can. 52. Non præstat impedi mentum, quod de iure non sortitur effectum.* Illa voc inutilia, quæ nullum effectum ad ius quod at tinet sortiuntur, qualiacunque tandem ea sin sive in legato optionis, *l. 1. & 2. de opt. le. l. hæc con ditio, de cond. & de.* seu testamento imperfecto, ex eo, quib. mo. testam. infir. seu denique in scriptu ris, in quibus illa recepta est Regula Vlpiani *Reg. 95. Non solent, quæ superabundant, vitiare scriptu ras.* Abundans enim cautela *l. testamentum, C. d test.* non nocet. Vnde Papinianus, *Reg. 82. Quæ du bitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, i commune non lædunt.* Nam si ne inutile quider vitiat vtile, quantò minus quod dubitation tollendæ causa est adiectum? *d. l. qui mutuan mand.*

AXIOMA LVIII.

De benigna interpretatione in coniun-ctis & disiunctis.

Ait Paulus, *Reg. 111. Vbi verba coniuncta non sun sufficit alterutrum esse factum.* Et in Canonibu *Can. 70. In alternativis, debitoris est electio, & suffic alterum adimpleri.* Cùm enim vtrumq; sit in ob ligatione, *l. obligationum ferè, §. modus, de actio. e obl. l. si duo. de ver. oblig.* benignitatis est, vt alter eorum soluto & præstito, liberetur debitor a vtroque.

AXIO

AXIOMA LIX.

De benigna interpret. odij & favoris.

Ait Canon, *Can.15. Odia restringi, favores convenit ampliari.* Latissimè patet hoc argumentum, & per totum ius est diffusum, *vide Dyn.hîc.*

AXIOMA LX.

De benigna interpret. in conflictu duorum malorum.

Ait Vlpianus, *Reg.200. Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis.* Hoc est, si aliquid occurrat, quod in quamcunque partem acceptum, semper rationes habeat, quas si non sequaris, meritò conscientiam quandam iniuriæ & captionis injiciant, tum proximum est, vt illud eligas quod cum alijs collatum, minimum habeat inquitatis. Cuius frequens est vsus in iure, vt cùm vel mediam viam in perplexis rebus eligit Imperator, *§.vl.qui.ex ca.ma.non. lic. §. cum ex aliena.de re. divi.* vel fortè contentionem dirimendam, *l.vlt. C.con.de leg.§.optionis.de lega.* vel quod minus malum est, sequendum, *hîc*, esse demonstrat.

AXIOMA LXI.

De eo genere interpret. quod stricto iuri est convenientius.

In hoc argumento fit iuris cum facto comparatio, idque dupliciter; nam vel factum cum

iure

iure confligit, *l. patre furioso, de his qui sui.* vel ius ci iure, & factum cum facto. In conflictu autem iuris cum facto plurimum refert initia rerum sint ne vtiliter & iure constituta, an verò inutiliter & non iure.

AXIOMA LXII.

De initiis rerum vtilibus.

Ait Paulus, *Reg. 186. Non est novum vt ea quæ vtiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuit.* Est enim casus superveniens facti, *d. l. patre,* quo ius tolli non potest, *l. obligationum, de act. & oblig.* Simile est illud in Canonibus, *Can. 73. Factum legitimè non debet retractari licèt postea casus eveniat, à quo non poterat inchoari, d. l. patre, l. furor. de Sponſ. § idem quæ, de inut. stip.* Et quidem vt casus superveniens non noceat negotijs prius contractis, debent ea esse facta & constituta, hoc est, sic impleta & perfecta, vt eis ad ius quod attinet nihil desit: alioqui verò perinde est atque si ne inchoata quidem essent. Nam quod perfectum non est, id, quia formam non habet (quæ quamdiu perfecta non est, nihil adhuc est, *l. cum Syllanianum, C. de his quib. vt indig.*) non potest etiam dici esse aliquid.

AXIOMA LXIII.

De initiis rerum inutilibus.

Ait Canon, *Can. 18. Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio nō subsistit.* Et Paulus in *π. Reg. 30. Quod*

30. *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Nam vt tempus non est modus tollendæ aut inducendæ obligationis, *d.l.obligationis*, § *placet*. ita nec ius cōstitui solo tempore aut induci potest, sed persona quoq; est opus, quæ factis, consensu & voluntate, *l in omnibus, d.tit.* animam vitamque instillet, vnde ius exuscitetur. Duo enim sunt iuris obiecta, res & personæ. Sola verò res aut factum ad iuris constitutionem non sufficit: sit illud Licinii Iurisconsulti responsum, exempli loco, *Reg.21. Quæ ab initio inutilis fuit institutio, tractu temporis convalescere non potest.* Et illud Vlpiani, *Reg.201. Omnia quæ ex testamento proficiscuntur, ita statim eventus capiunt, si initium quidem sine vitio cœperint.*

AXIOMA XLIV.

De conflictu iuris cum iure, & facti cum facto.

Illa demū idonea & tempestiva comparatio est, si vel ius cum iure compares, & factum cum facto. Inter similia enim apta est proportio; nō verò inter disparata, & toto genere diversa. Et hinc est, quod & factum, facto tolli possit, & ius, iure. Hinc illud Vlpiani, *Reg.36. Nihil tam naturale est, quàm vnumquodq; eo genere dissolvi, quo colligatum est:* subjicit exemplum, *Reg.101. Ideoq; verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur.* In eandem sententiam ita Caius Iureconsultus: *Omnia quæ iure contra-*

contrahuntur, contrario iure pereunt. Eadem eni vt ait Aristoteles, *in Topicis*, in vnaquaq; re su destructionis principia, quæ sunt & constr ctionis.

ENCHIRIDII REGV LARVM SEV AXIOMA-tum, Liber secundus.

AXIOMA I.

De Regulis particularibus.

LIBER secundus regularum partic larium est totus circa locos singul res, tum personarum, tum denique actionum versatur: quæ sunt tria i ris obiecta, § *fi. de iure nat. gentium & Ciuili*. in q omnia quæ de iure traduntur, specialiter in dunt. Vnde non abs re nobis futurum videb tur, si hunc librum per hos locos incedente studiosorum gratia ad eum ordinem, quem Institutionibus tenuit Imperator, dispone mus. Hactenus igitur de Regulis generalib libro primo dictum est: nunc de particula bus, quarum aliæ circa ius ipsum versantur, liæ circa iuris obiecta.

AXIOMA II.

De iure ipso, & eius definitione.

Ius ipsum tribus maximè membris contin

tu

tur. Quid sit, quæ sint eius species, & quot partes habeat. Est autem ius, ars boni & æqui, *l. 1. de iust. & iure.* brevis definitio per genus & formã. Est enim æquum & bonum, forma Iuris, *d. l. 1. & l. in omnib. hoc tit.* Causa efficiens, ratio tum naturalis, tum civilis, *l. omnes populi, de iust. & iur.* Materia, Factum, (ex facto enim ius oritur, *l. si ex plagis, §. in clivo, ad leg. Aqui.*) Finis, iustitia, quæ est constans, & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi, *Cic. lib. 1. off. & IC. in l. iustitia, de iust. & iur.*

AXIOMA III.

De speciebus iuris.

De speciebus iuris illud dicemus inprimis, quot earum sint, tum de earum invicem differentia. Sunt autem Iuris species (vt ex institutionibus imperialibus notum est, *d. tit. de iu. na. gen. & ci.*) numero tres; nam vel Naturale est, vel Gentiũ, vel Civile. Et rursus Civile in duas partes it, Scriptum, & non scriptum. Scripti iuris partes sunt Lex, Plebiscitum, S. Consultum, Principis placitum, Prætorum edicta, Responsa prudentum. *§. constat, d. tit.*

AXIOMA IIII.

De Lege.

Lex etsi alioqui iuris scripti sit species, tamẽ latissimè frequenter accipitur, vt omne ius tam

ſcriptum quàm non ſcriptum comprehendat *vt in l.ſi de int.de le.* Cuius totam indolem articu lis aliquot includemus: nimirum de præcepti legum condendarum, de legum interpretatio ne, deniq; de legum natura & indole.

AXIOMA V.

De præceptis legum condendarum.

Vetuſtiſſimum atque adeò princeps in con dendis legibus præceptum, vt cõſtituantur iur in ijs, quæ plerunque accidunt, non in ijs qu raró, *l. iura.1.cum §.ſeq.d.tit.* Quò pertinet illu Iuliani, *Reg. 65. Ea quæ raró accidunt, non temerè in a gendis negotiis computantur.* Vnde literæ, licèt au reæ (quod raró accidit) cedunt chartæ, *§.liter de re.diviſ.* & hereditatem, quamvis lucroſam, ſi ne tutoris tamen authoritate non acquiret pu pillus, *de aut.tut.in pri. in Inſt.* rarũ eſt enim vt n ſint ſuſpectæ hereditates, *l.ſi here.man.* Nec alic qui cõtingens rarum morari legislatorem, au iuris interpretem debuit, quò minus legislato rem in genere proponeret, *d.l.iura.1.* quemac modum iura nec in ſingulas perſonas, ſed gen raliter ſunt conſtituenda, *l.iura.2.d.tit.de le* quod eſt alterum præceptum condendaru legum, eo ferè ſolo differens à priore, quod illud ad res, hoc verò ad perſonas referatur.

AXIO

AXIOMA VI.

De legum interpretat.

De legum interpretatione illa nobis tetigisse capita satis erit, quòd videlicet ea sit duplex, verborum vna, & mentis altera. Quantum illa quæ verborum est, minus momenti habet ad iuris & iniuriæ disceptationem, quàm illa quæ mentis est: hinc illud Celsi Iureconsulti: Scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem, *l. scire. de legib.*

AXIOMA VII.

Interpretationis quæ sint vitia.

In legum interpretatione bis peccatur. Semel: si quis contra voluntatem verbis legis inhæreat, *l. contra legem, d. titu.* iterum, si ad consequentiam ea quæ singularia sunt, producantur *l. ius singulare, d. titu.* Prioris generis interpres, calumniator est, non interpres. Vnde talis est regula in Canonibus, *Can. final. Certum est, quòd is committit in legem, qui verba amplexus contra legis nititur voluntatem.* Sunt enim verba tantùm instrumenta voluntatis, *L. labeo. in fin. de suppel. lega.* si ergo aliunde manifesta legis mens est & voluntas, *d. l. scire,* cur eam non sequamur? & hoc genus interpretationis plerunq; incidit, vbi alter scripto nititur, alter minus cautũ esse dicit, (qua de re lectorem ad Quintilianum *instit. orato. lib. 7.* remitto) vt accidit in hac cõtentione:

An quod vna via prohibitum est, alia tentare liceat, vt frumentum exportari lex vetat, alius evexit, quod sanè est verba captare: satis est enim apertam esse legis voluntatem, quæ quod vna via prohibuit, prohibuit & altera, cùm sit eadem ratio. Hinc Canon, *Can. 84. Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*: quasi videlicet minus scriptum quàm cautum sit. Sic quem ius civile fecit intestabilem, voluit Prætorio iure ad successionem venire, sed frustrà, *l. 3. §. liberi. l. si post mortem. §. exhered. de bo. poss. cont. tab.* Neque enim Prætor qui iuris minister est, *l. nam & ipsum de iust. & iu.* eum adiuuabit ex edicto, quem apertis verbis ius ipsum à successibus exclusit. Satis est enim legislator prohibuisse tantùm, quod fieri non voluit, *l. si dubium, C. de legib.* vt cætera quasi expressa, licea ex ipsa legis voluntate & ratione colligere.

AXIOMA VIII.

De his, quæ ad consequentiam non producuntur, seu de iure singulari.

Ad consequentiã non trahũtur ea quæ sun iuris singularis, hoc est, quæ talia sunt, vt cõtr tenorem rationis propter aliquam vtilitatẽ au thoritate constituentium sunt introducta, *l. in singulare, de le.* & hæc modo à iure communi ex orbitare dicuntur, modò contra rationem iur recepta, modò ob necessitatem introducta, pc stremò in alicuius gratiam constituta.

AXIO

AXIOMA IX.

De his quæ à iure communi exorbitant.

Ait Canon, *Can.28. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequẽtiam sunt trahenda.* Nam cùm ea per se suum locum ægrè tueantur, quomodo ad similia trahentur. Vt ecce, odio furũ, quo pluribus actionib. teneantur, permissum est, vt ab eis rem suam quisq; condicat, *§. sic itaque, de acti.* an horum exemplo licebit ne & à raptore rem suam à domino condictione revocare? & iterum, Velleiano S.Consulto succurritur mulieri, *l. 1. ad S.cons. Vellei.* cur non etiam minori? Sed exorbitant hæc à iure communi, vixque suis locis perpetua sunt. Nam & mulier quæ fideiussionem iteravit, beneficium amittit, *l. si mulier, 2. C. ad S.consul. Velleia.* & dominus qui vendicationem inchoavit, non potest ea omissa ad condictionem venire.

AXIOMA X.

De his quæ contra rationem iuris sunt recepta.

Ait Paulus, *Reg. 184. Quod contra rationem iuris receptum est, non est procedendum ad consequentiam.* Eadem est huius regulæ ratio, quæ præcedentis, & tam hæc quæ contra rationem iuris recepta sunt, quàm illa quę à iure communi exorbitant, puto nomine iuris singularis contineri, *d. l. ius singulare.*

AXIOMA XI.

De his quæ propter necessitatem recepta sunt.

Ait Paulus, *Reg. 123. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.* Neque enim vel tutela, per quam expressis verbis per necessitatem succursum est pupillis: vel alienatio rerum sacrarum in redemptionẽ captivorum permissa, *l. sancimus 1. in fi. C. de sacr. eccles.* aut denique exhereditatio liberorum ob aliquam causam quæ à iure sit expressa, *§. aliud, in auth. v. cùm de ap.* ad consequentiam trahetur, vt scilice vel alius in tutela sit quàm pupillus, licèt alio qui iustiore tuitionis necessitate laborans. Ve sacrorum alienatio, aut liberorũ exheredatio ob causas etiam multò maiores, quàm quæ expressis verbis legis propositæ sunt, erit toleranda, *doctri. ad aut. ex causa, C. de li. prat.*

AXIOMA XII.

De his quæ in alicuius gratiam sunt constituta.

Ait Canon, *Can. 61. Quod ad gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* N videlicet nomini suo non respondeat, & nihi minus sit quàm esse dicitur, *l. nulla, de legib.* tum etiã quia cessante causa, cesset effectus, *l. adiger de iur. pat.* potestq; securè dici, legẽ quę prodes voluit, non pertinere ad illũ casum, quo sit ead constitutio obfutura. Vt ecce; ob gratiam i tribu

tributum est pupillo, vt nihil eorum quæ sine tutore authore egerit, valeat, *de aut.tut.in pri.in inst l.fi.de iu.& fact. ign.* idq; ne in damno sit: potest tamen nihilominus etiam sine tutore meliorem facere cõditionem suam, & ex donatione aut stipulatione acquirere, *l.1.C.de aut.præst.l. seq. C.de contrah.& cõmit.stip.* ne in dispendium redũdet, quod in favorem & gratiam erat constitutum, *d.l.nulla.*

AXIOMA XIII.

De legum natura.

Omnium legum vna communis proprietas est & natura, quòd sint publicæ, *l.1.in verb. communis Reip.sponsio. de legib. l. leges, C.illo titu.* quam indolem habent ex eo, quòd olim nulla lex vigorẽ consecuta esset, quæ non pro rostris trinundino pclamata esset, *Macro.in Satur.& Cic.in Ora. pro P.Quinctio.* esset, cui si interim nemo contradixisset, tũ quasi totius populi cõsensu recepta, erat firma & ppetua. Facta verò natura sua sunt privata, *l.in omni, de iur.& facti ignor.* Iam verò vt privatim nemini excusabilis est sui facti ignorantia, *l.plurimũ, d.tit.* ita nec iuris, *l.error, d.titu.* quod propter indolẽ illam publicam quã habet, perinde est, atq; si ad illud condendum singuli per se de populo accessissent, *arg.d.l.1.de leg. & d.l.1.de cõst. prin.* & inde est quod ait Canon, *Can.13. Ignorantia facti non iuris excusat.* Cuius rei varia exempla ex regulis afferamus, in herede, fideiussore, & contrahentibus.

AXIOMA XIV.

De facti ignorantia in herede & fideiussore.

Ait Canon, *Can. 24. Cùm quis succedit in alterius ius, præsumitur habere iustam ignorantiæ causam.* Iustus enim est error alieni facti, *l. fin. pro empt.* Clariùs de hac eadem re Celsus IC. *Reg. 43. Qui in alterius locum succedunt, iustam habent causam ignorantiæ, an id quod petitur, deberetur. Fideiussores quoque, non minus quàm heredes, iustam ignorantiam possunt allegare.* Iam ad heredes revertitur: *Hæc ita de herede dicta sunt. Nam planè qui agit, certus esse debet, cùm sit in potestate eius, quando velit experiri, & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.*

AXIOMA XV.

De facti ignorantia inter contrahentes.

Ait Vlpianus, *Reg. 20. Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet nō ignarus conditionis eius.* Qui enim spontè ad contrahendum accedit, antè secum explorare debet an expediat. *Heredi autem hoc imputari non potest, cùm non spontè cum legatariis contrahat.* Nam totum negotium testamentarium, inter testatorem & heredem censetur, §. *sed neque, de test. ord.* agi (non etiam cum legatariis) idque ob vetustam illam familiæ emptionem, in cuius locum exolescentibus veteribus illis super-

erſtitionibus, *d. §. ſed neq́*, ſuccedit cauſſa hæ-
editatis.

AXIOMA XVI.

De principum placitis.

Hactenus vtcunq; de legibus in genere, & n ſpecie dictum eſt: de Plebiſcitis & S.conſul-is, quia non incidunt regulæ, ſuperſedebimus icere. Nunc inſtant igitur principum placita, uæ vel tenent omnes, & vocantur Cōſtitutio-es, *§. ſed & quod, de iure nat. gent. & ci.* vel ad certas antùm perſonas aut res accommodantur, & unt Privilegia, quæ pars pulchram habet & requentem tractationem in jure. Et quidem rimò: quot ſint ſpecies privilegiorum, tum uomodo acquirantur, poſthæc quomodo a-nittantur, deniq; quomodo interpretari de-eant, ordine Regularum ad hæc argumenta ertinentium dicemus.

AXIOMA XVII.

De privilegiorum ſpeciebus & natura.

Ait Modeſtinus, *Reg. 157. Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, & ideò quædam ad heredem ranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt: Quæ perſonæ ſunt, ad æredem non tranſeunt.* Verùm accuratius eſt vi-endum, quæ perſonæ ſint privilegia; quæ cau-æ, ex quo alterum illud evadet manifeſtius, uæ tranſeant ad heredes, quæ non tranſeant. Quam ad rem oportunum erit illud Pauli re-

 ſponſum.

ſponſum, *Reg. 69 In omnibus cauſis id obſervatur, v vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficient ea, beneficium quoq; deficiat. Vbi verò genus actionis, i bi ad quemvis perſecutio eius devenerit, non deficit ra tio auxilij.* Semper enim tranſit res cum ſua cau ſa, *l. traditio, de ac. re. do.* quæ verò perſonæ inhæ rent, cum perſona quoq; intereunt, *arg. l. 1. §. fi nitur, de vſufr.* quo pertinet ille Canon, *Can. 7. Pri vilegium perſonale, & cum perſona extinguitur.* Sol enim jura tranſeunt ad heredem, *l. heredit as, de i iu.* non verò facta, *l. cùm heredes, de acq. poſſ.*

AXIOMA XVIII.
Quomodo privilegia acquirantur, & quomodo amittantur.

Acquirũtur Privilegia reſcripto, idq; preci bus Imperatori oblatis, *l. quoties, l. reſcripta. C. d preci. Imp. offe.* aut lege, quãdo ſcilicet juris favo re aliquod beneficium defertur, qualia ſun quàm plurima, vt beneficium epiſtolæ D. Ad riani, *§. ſi plures. de fideiuſſ.* beneficiũ inventarii, *fi. de C. de iure delibe.* exceptio non numeratæ pe cuniæ, *l. in contractibus, C. de non nu. pec.* Velleiani *toto tit. ad S. Con. Vell.* Macedoniani, & ſimilia, *pe. qui cum eo.* Amittuntur verò vel per renũcia tionem, vel per revocationem. Per renuncia tionem quidem, quando favori pro ſe introdu cto quiſq; renunciat, *l. pe. C. de pact.* quod non e abſurdum, ne ſcilicet in invitum conferatu beneficium. Vnde Paulus, *Reg. 70. Invito benef cium*

tium non præstatur. Et Vlpianus, *Reg. 198. §. fin. Quod cuiq; præstatur, invito non tribuitur.* Perdit enim beneficii & liberalitatis nomen, si in invitū conferatur, desinitq; esse beneficium. Per revocationem verò amittitur privilegium, quando id revocat is qui dedit, nempe Princeps, vel Lex. Nihil enim tam est naturale, quàm vnumquodq; sic tolli, vt est constitutum, *l. nihil tam naturale, hoc tit.* alioqui verò nisi legitimo aliquo modo adimantur, erunt privilegia secundum suum modum perpetua. Hinc illud in Canonibus, *Can. 17. Indultum à iure beneficium, non est cuiquam auferēdum*: & iterum, *Can. 16. Decet concessum à principe beneficiū esse mansurū*: hoc est perpetuū, donec legitimis modis auferatur, *arg. tit. de perp. & temp. in prin. iuncta l. sicut, C. de action. & obli.*

AXIOMA XIX.

De interpretatione privilegiorum.

Ait Canon, *Can. 81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Sunt enim beneficia strictè interpretāda, *l. leges, C. de leg. c. sanè, de privil.* non verò vt leges, trahi similitudine rationis ad consequentiam: quod scitè & eleganter exprimit ille Can. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Nam beneficia seu privilegia personā non egrediuntur, *d. l. 1. de consti. prin. & d. l. leges.* Et hæ sunt illę regulæ, quę de privilegiis sunt propositæ. Ad Prætorū edicta & responsa prudētum, quia nullæ incidunt regulæ, transibimus ad ius non scriptum.

AXIO-

AXIOMA XX.

De jure non ſcripto, ſeu conſuetudine.

Ex ſcripto jus venit, quod vſus approbavit nam diuturni mores conſuetudine vtentiun comprobati, legem imitantur, *§. ex non ſcripto, d iu. nat. gent.* eoq; differt à lege, quæ conſtitu momento dicitur, *d. l. leges.* Conſuetudo veri temporis diuturnitate venire, *l. de quibus, de legi* latentibus quodammodò incrementis, adeò vt eam per gradus induci dicat Albericus, & homini ſimilem eſſe, *arg. l. peculium, 4. de pecu* primumq, concipi ratione, *l. quod non rationes d legib. & c. fi. de conſuetu.* Naſci experientia & a8 vnico: Adoleſcere plurium ſimilium imitatio ne, *l. cum de conſuetudine, d. tit.* conſummari demu temporis diuturnitate, *d. l. de quibus.*

AXIOMA XXI.

De ſpecierum juris invicem differentia.

Naturalia jura (inquit *§. pen. de iu. nat. gent. c civili,* Imp.) quæ apud omnes gentes pleraq; ob ſervantur, divina quadam providentia conſti tuta, ſemper firma atq; immutabilia perma nent: Ea verò quæ ſibi quæq; civitas conſti tuit, ſępè mutari ſolent, vel tacito conſenſu po puli (hoc eſt, cõſuetudine, euntibus ſcilicet po puli moribus in vſum contrarium) vel alia po ſtea lege lata: nam & ipſa per ſe conſuetudo le

gen

rem imitatur, *d. l. de quibus.* vnde rectè Paulus. *reg. 166. § final. Temporaria permutatio* (inquit) *ius provinciæ non innovat.* Neq; enim ea quæ facti sunt & momentanea, (qualis est temporaria permutatio) imperium habent in ea quæ sunt juris, *l. patre furioso, de his, qui sui, &c.* vt est consuetudo, quæ legem imitatur. Et hæc quidem hactenus de ipso per se jure in genere: nunc proximum est vt ad juris obiecta, res videlicet, personas & actiones porrò descendamus.

AXIOMA XXII.

De juris obiectis.

Omne jus quo vtimur, vel ad personas, vel ad res, vel deniq; ad actiones pertinet, *§. fi de iure nat. gent. & civi.* quæ quidem actiones sunt quasi vincula quædam & catenæ, quæ res personis vniunt & connectunt: nam inter personas, rerum gratia, *l. nihil est aliud, de act. obli.* moventur actiones. Non admodum his absimile est, quod de partibus orationis quidam, *Quint. lib. 1. cap. 4.* senserunt, earum videlicet tantùm esse tres, nomina, verba, & coniunctiones: & in nominibus materiam sermonis inesse, in verbis vim. Nam alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur: In coniunctionibus autem, structuram, connexionisq; præcepta. Sic personæ sunt quæ contrahunt: Res, propter quas contrahitur: Actiones, media quædam quæ res personis vniūt & connectunt. Et priùs de per-

de personis videamus, nam parum est ius nosse si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur, *l. 2. de sta. hom.*

AXIOMA XXIII.

De personis.

Inter cæteras personarum divisiones (quarum tres numero sunt) summa ac princeps est illa, quòd omnes homines, aut liberi sunt aut servi, *de iure person. in prin. in Inst. l. 3. de sta. hom.* quæ quidem divisio ex jure gentium descendit. Secunda, partim ex jure gentium, partim ex civili. Tertia verò tota civilis est. Quarta, ab accidentibus personarum desumpta est, vt ex sequentibus axiomatis satis apparebit.

AXIOMA XXIIII.

De prima personarum divisione.

Diximus illam esse principem personarum divisionem, *d. l. 3.* quòd omnes homines, aut sunt liberi, aut servi. Ideò verò ea divisio ex Iure gentium est, quòd cùm jure naturali omnes vno communi nomine homines vocarentur, introducta servitus est, cui cùm statim beneficium manumissionis subsecutum est, accidit, vt iam inde tria hominum genera inciperent agnosci, nimirum liberi, & his contrarium servi, & tertium genus libertini, *§. manumissio. de libert.* Sed primùm de libertate dicamus, tum de servitute.

AXIOMA

AXIOMA XXV.

De libertate.

Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibeatur, *l. 4. de sta. ho. §. 1. de in perso.* qua non est homini quicquam maius datum aut præclarius: unde Senex iste Terentianus, *in Andria actu. 1.* commemorans, quantis beneficiis servum qui liberaliter servierat, affecisset: Summum (inquit) pretiũ quod habui, persolvi tibi. Et hinc istæ regulæ, *Reg. 165. Libertas omnibus rebus est favorabilior.* Et illa Pauli, *Reg. 101. Libertas inæstimabilis res est.* Et Vlpianus, *Reg. 137. § fin. Infinita est libertatis æstimatio & necessitudinis.* Et hinc est quod liber homo non sit in commercio, *l. liber homo, de acq. re. do.* nulla enim pretii cũ libertate est proportio, adeò vt rectè dixerit ille, *Reg. 169. § fin. Locupletior non est, qui liberum acquisierit.* Neq; enim liber homo in bonis esse potest, alii libertũ legunt. Sed id in idem redit, quamvis paulò longiùs ea res respiciat, propterea quòd dubitari poterat, an ob spem successionis, quam patronus liberto intestato decedente habet, *tit. de succes. libert. in Instit.* videri debeat esse factus locupletior: & certum est, non videri, quemadmodum nec hereditas delata, etiamsi adeundo acquiri possit, non facit tamen eum, cui delata est, interim locupletiorem, *l. qui superstis, de acq. her. l. spem. C. quæ res pig. ob.*

AXIOMA

AXIOMA XXVI.

De servitute.

Primùm, quid ea sit, tum de vi eius & effect ad ius quod attinet, differamus. Est autem Servitus constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno cõtra naturam subjicitur, *§.1.de i pers.&d.l.3.* Qui ergo in servitutem redactus est personæ conditionem exuit, iamq; ab Vlpian *in frag.Instit.sub tit.de acquisit.rerum.* inter res man cipi commemoratur, vt sic in causam domini perinde vt pecus incidat: qui quidem servitu tis effectus est multò maximus, cuius gener sunt alii plures, de quibus seorsim.

AXIOMA XXVII.

De vi & potestate servitutis.

Ait Vlpianus, *Reg.33. Quod attinet ad ius Civi servi pro nullis habentur. Non tamen iure naturali, qu quod ad ius naturæ pertinet; omnes homines sunt aqu les.* Et inde est quòd obligari quidem natura ter tam ex contractibus, quàm ex delictis pc sint servi, *l. servi de actio. & obl.l. naturaliter,l. si quod, de condi.indeb.* Iuregentium verò aut Civ non possint. Qua in re nota, juris civilis appe latione, contineri etiam jus gentium, *Accurs. d.l.si id quod,* quod est in jure frequens. Non qu dem Iuregentium obligari potest servus: qu eo jure servitus est introducta, nec liber est. N eni

enim jure Civili, quia non est civis Romanus. At si dicas obligationes jure gentium demum introductas *l. manumissiones de iust. & iure.* esse, vt sic nulla videatur esse naturalis obligatio, id negavero: nam etsi contractus sint jure gentiū introducti, obligatio tamen, seu animorū nexus, cum natura, *§. 2. vers. quod verò naturalis ratio, de iu. na. gent. & civi.* venit. Quemadmodum servitus quidem Iure gentium est invēta, libertas tamen etiam cum natura venit. Vnde cùm servum dicimus natura obligari, factum (inquit Triphonius *l. nec servus de pecul.*) demonstramus potiùs quàm jus. Nam vera obligatio, quæ est iuris vinculum & necessitate solvendi stringit, est Iuris gentium, *l. naturales, de act. & obli.* cuius servus non est capax. Et sic Vlpianum intelligo *Reg. 22. In personam servilem nulla cadit obligatio.* Ex quo & alterum illud necessariò sequitur, quòd, *Reg. 108. Cum servis nulla sit actio.* Tum quia obligatio sit mater actionis, *l. licet, §. 1. de procurat.* tum quia servus non sit civis Rom. vt sic legis actionum possit esse particeps: neq; enim fieri potest vt civilia, seu ea quæ sunt juris civitatis, consistant sine fundamento naturali, quæ est libertas. Et vt servitutis quę vis sit, ad iusq; attinet, vno verbo cōcludamus, oportunū erit huic loco illud Vlpiani responsum, cùm ait, *Reg. 209. Servitutē mortalitati ferè cōparamus.* Dixit, ferè, propter ius naturale, quo jure servus æqualis est cæteris omnibus hominibus. *l. quod attinet, in fi. hoc axio.*

E AXIO-

AXIOMA XXVIII.

De secunda personarum divisione.

Secunda (inquit Imper. *tit. de his qui sui vel a iur. sunt.*) personarum divisio est, quòd quædam personę sui juris sunt, quædam alieno juri subiectæ: quam divisionem ideò diximus vtriusque juris symbolum præ se ferre, quòd scilicet dominorum in servos potestas sit ex jure gentium *§. 1. d. tit.* parentum verò in liberos, ex Iure Civili. *§. in potestate, de pa. potest.* Primùm ergo de his dicamus, qui sui juris sunt, tum de aliis.

AXIOMA XXIX.

De his, qui sui juris sunt, seu de jure familiæ.

Sui juris esse dicitur, qui est suæ familiæ princeps & caput. Est enim familia juris nomen, *l. pronunciatio. §. 1. de verb. sig.* quemadmodum do & hereditas, quæ vt res plures, pluraq; jura significationis amplitudine in vnū coniungunt, sic vt res vna tantùm esse videatur, *d. l. here. de reg. iu.* Ita familia, plures personas ab invicem ratione potestatis pendentes, sic vnit & connectit, vt tantùm videatur esse vna *d. l. pronuncia. §. 2.* Et quia naturaliter vniuscuiusq; rei vnicum tantùm est caput, ita non potest in vna eademque familia, nisi vnicus esse princeps & vnum caput, quem patremfamiliàs appellamus, *d. l. pronu*

pronun.§.pater. qui vt ætate & dignitate reliquos omnes antecedit, ita faciliùs erat vt ab eo familia nomen acciperet, & ipse princeps esse diceretur, potius quàm cæterorum descendentium quisquam: adeò vt hac personarum vnione inspecta, ne quidem pater in potestate filium habeat, si alius sit qui eum in familia antecedat, nimirum avus, *d.§.in potestate*. ne scilicet duo capita vnius rei esse videantur, & familia quæ juris consideratione pro vna persona est, scindatur in plures.

AXIOMA XXX.

De his, qui alieno juri sunt subiecti.

Eorum qui alieno juri sunt subiecti, alii in potestate parentum sunt, alii in potestate dominorum, *tit. de his, qui sui vel al. iu. sunt, in Insti.* quamquam hæc quidem potestas dominii est & possessionis, nec aliter servus in potestate domini esse dicitur, quàm jumentum. Nam & servus inter res mancipi ab Vlpiano *loco priùs allega.* refertur: illa verò principatus & relationis, non autem dominii. Neq; enim filius in dominio patris est; sed tantùm pars familiæ paternæ; *d.§.2. l. in suis, de lib. & posth.* cuius cùm pater sit princeps & caput, rectè filius ratione potestatis & familiæ absorptus à patre dicitur, vt sic extare per se non videatur, sed solus pater, sub quo reliqua familia tanquam membra quædam &

eadem cum patre persona continetur, §. *ei verò de inut. stip.* sicut purpura intexta, est cũ reliquò vestimento idem vestimentum, §. *si tamen, de re. divi.* Ex quo sequitur, liberam voluntatem ad jus quod attinet, nec filio esse, nec servo *l. velle nõ creditur, hoc tit. inf.* Nõ quidem filio, vt qui totus ab imperio paterno dependeat, in cuius est potestate, ratione cuius, ne quidem persona in Rep. Romana esse videtur: Non etiam servo, vt qui eò amplius sit etiã in dominio eius, §. *1. de his qui sui.*, cuius est, & nec libertatem habeat: vnde Paul. *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patri vel domini.* Quicquid ergo voluntate sua & consensu acquisierit, id voluisse dominus & acquisisse videtur, *d. §. 1. de his qui &c.* adeò vt ne momẽto quidem in servi persona consistat, *arg. l. placet, de acq. here.* quicquid etiam acquisierit filius id statim ratione vnionis eat ad totam familiã & ratione principatus ac prælationis ad patrem, ita vt pater ipse acquisisse id videatur, § *igitur, per quas pers. nob. acq.* Atq; ita nec filius expeditam habet personam, vt qui pars tantùm sit alterius, & ab alio absorptus, *d. §. 2.* nec servus vt qui sit ab alio possessus, *l. qui in servitute, hoc tit.* His proximum est videre quiddam de modis alienæ potestatis constituendæ.

AXIOMA XXXI.

De modis alienæ potestatis constituendæ.

Servi (inquit §.*penult.de iu.perso.*Imp.) aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris, partus enim sequitur ventrem, *l.partum*, C. *de rei ven.* Fiunt aut jure gentium per captivitatem: aut jure civili, cùm liber homo ad pretiũ participandum se vænundari passus est. At verò patria potestas constituitur per justas nuptias, aut per adoptionem: & primò de nuptiis.

AXIOMA XXXII.

De nuptiis.

In potestate nostra sunt liberi nostri, qui ex justis nuptiis procreantur, *tit.de pa.po.in Insti.* Iustas autem nuptias inter se cives R. contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, sive patresfamilias sint, sive filiifa. Dum tamen si filiifa. sint, consensum habeant parentũ, quorum in potestate sunt, *in prin. tit. de nupt. in Instit.* de quo quidem consensu intelligo Vlpianum, cùm ait, *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Non quidem solus consensus, quod is facti & naturalis sit, *in prin. tit.de pact. in π.* nuptiæ verò solennis juris, *d.tit.de nup.in prin.* in quibus, quia potentior est caussa solennium quàm naturæ, fit vt principaliter illud quæramus, an solennia sint observata: quemadmodum in stipulatione, non consensum, sed solennia intue-

mur, *l. 1. §. si quis ita, de ver. oblig.* quamvis interim consensum, hoc est, causa naturalis, ad fulciendam causam civilem abesse nõ possit. Nam nuptiæ, quamdiu cõcubitus non intervenit (quo dicunt hodie solennisari matrimonium) in totum non sunt consummatæ, sed etiamnum aliquid adhuc eis ad summam perfectionem deest, quemadmodum empto vino, quamdiu nõ est subsecuta degustatio, contractui adhuc aliquid inest imperfectionis, *l. necessaria, l. si vina, de pe. & commodo rei. vend.* De adoptione nihil, eò q non sit ea tractatio nos ad aliquam regularum dispositionem deductura. Transeamus igitur ad tertiam personarum divisionem.

AXIOMA XXXIII.

De tertia personarum divisione.

Ex iis personis, quæ in potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro jure tenentur, *tit. de tut. in prin. in Instit.* Et priùs de iis personis quæ in tutela sunt, videamus. quod argumentum discedet in tria capita: Quid sit tutela, Quæ sint eius species, ac tandem de autoritate tutorum.

AXIOMA XXXIIII.

De tutela & eius speciebus.

Tutela (vt inquit *§. 1. d. tit.* Servius) est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, jure civili data atq; permissa: quæ postrema definitionis

verba

verba teſtantur, non omnium tutelarum eandem originem eſſe. Nam datæ, hoc eſt juris civilis autoritate introductæ, propriè ſunt legitima tutela & dativa, quarum altera ſpecialiter à lege Attilia Romæ, & in provinciis à lege Iulia & Titia, *tit. de Attilia, tutor. in prin. in Inſt.* altera in genere, à lege 12. tab. ipſo jure defertur, *tit. de leg. tute. in prin.* Permiſſa verò tantùm, eſt tutela teſtamentaria, *§. permiſſum, de tute.* Ideò permiſſa, quòd priùs etiam ante editas leges 12. tab. neceſſitate quadam conſervandæ ſocietatis humanę apud Ro. eſſet vſurpata: poſtea verò ob ſingularem vtilitatem etiam à jure civili recepta & approbata, eoq; ſolo nomine juris eſt, quęadmodum & omnes contractus Iuris gentium, *l. iuris gentium, de pact. l. manumiſſiones, de iuſti. & iur.* Primùm ergo de teſtamẽtaria, vt quæ in ordine rei gerendæ ſit prima: ſemper enim inſpicimus quid ſit actum, *l. ſemper, in ſtip. hoc tit.* ſi nihil, tunc demum ad ius commune tranſimus.

AXIOMA XXXV.

De teſtamentaria tutela.

Ait Vlpianus, *Reg. 74. §. 1. Nemo poteſt tutorem cuiquam dare, niſi ei quem in ſuis heredibus, cùm moritur, habuerit, habiturúsve eſſet, ſi vixiſſet.* Scitè Vlpianus oſtendit: qui, quibus teſtamento tutores dare poſſint. Nempe parentes liberis, non natis modò, ſed & poſthumis, qui juris

prærogativa quadam pro iam natis habentur, *§.pe. de tut.* quoties de eorum agitur emolumento.

AXIOMA XXXVI.

De legitimâ tutela.

Quibus teſtamento tutor datus non eſt, iis ex legib. 12. tab. agnati tutores fiunt, *d. tit. de legit. ag. tu.* ad quos ipſo jure tutela defertur, ſi cætera ſatis per omnia congruant. Nam cùm tutela ſit munus publicum *de excuſ. tut. in prin. in Inſti.* & virile, *l. tutela, de tutel.* meritò ad fœminas non eſt itura. vnde Vlpianus, *D. Reg. 74. in prin. Quò tutela, eò & hereditas pervenit, niſi cùm fœminæ heredes intercedunt.* Quas ad tutelam vocari nec civile futurum videbatur, fortè ob verecundiam ſexus muliebris: nec vtile, idq; ob rerum ignorationem, *l. quamvis, C. de iur. & fact. ignor.*

AXIOMA XXXVII.

De tutela dativa.

Hoc tutelæ genus, eſt penitus ſubſidiarium, quo tunc vtimur, quando nullus omninò tutor eſt, vel teſtamentarius, vel legitimus, *de Attil. tut. in prin. in Inſt.* alioqui verò, quia tutorem habenti, tutor dari non poteſt, *§. interdum, de curato.* ſi proſpectum ſit pupillo, non erit huic ſpeciei locus. Ceſſante enim cauſſa, ceſſat effectus, *l. adigere, §. quamvis, de iu. patro.*

AXIOMA

AXIOMA XXXVIII.

De autoritate tutorum.

Autoritas nihil est aliud, quàm consensus, *Alciat.lib.6.parer.c.6.* nisi quod significationem quandam dignitatis & imperii secum afferat, & quod in principe est maiestas, id in Senatu & magistratibus est autoritas, vnde Livius *li.1.deca.* Summa, inquit, potestas plebi concessa est, autoritas tamē mansit penes patres. Huius exemplo, cùm tutor sit quidam quasi parvus magistratus, & quodammodò dominus pupilli, *l.qui fundum, §.si tut.pro emp.l.tutor qui tutelam, de ad.tut.* dictum est vt ille consensus, quem pupillo contrahenti ipse accommodat, vocetur autoritas. Cuius ea vis est atque potestas, vt contractus à pupillo initi, aliàs propter iudicii imperfectionem nihil valituri, *l.fin.de iu.& fa.ign.l.vlt.de iur. ind.* sint firmi perinde, atque si à maiore essent acti, tutoris autoritate, imperfectionem ætatis pupillaris repræsentante, *l.quamvis, §.infans, de aq.poss.* idque ne pupillus sit in damno, adeò vt pupillus sine tutoris autoritate, nec ex contractu obligetur, *de auto.tut.in prin.in Inst.* nec ex patientia. Secus est in delictis. Sed de singulis videamus seorsim: de pupillo contrahente, patientiam præstante, & delinquente.

AXIOMA XXXIX.

De pupillo contrahente.

Ait Celſus, *Reg. 150. Pupillus nec velle, nec nolle i ea ætate, niſi interpoſita tutoris autoritate poteſt.* Nan *quod animi iudicio fit, in eo tutoris autoritas eſt neceſſa ria.* Animi iudicio fieri ea dicuntur, in quibu opus eſt providentia & intellectu, ne lædamur vt in contractibus vltrò citroque obligatio nem facientibus. Qui verò non poſſunt no vtiles eſſe pupillo, & ei qui cum eo contraxeri onerosi, in his, quia non eſt periculum ne læ datur, fit vt non ſit tutoris autoritate opus, *d tit. de auto. tut. in princ.* ceſſante enim cauſa, ceſſa & effectus. Huius generis eſt ſtipulatio: Nan ſi quis promittat pupillo, poteſt ipſe reciper & acceptare, ne ſcilicet quod in favorem eſt in troductum, redundet in odium, *l. nulla, de le gibus.*

AXIOMA XL.

De pupillo patientiam præſtante.

Ait Paulus, *Reg. 111. §. 51. Pupillus pati non poſſ intelligitur.* Neque enim pati aliud eſt, quàm e patientia tacito quodam conſenſu obligari, *qui ad certum, locat. l. ſed & ſervus, §. ſed etſi, de tri buto. act.* iam verò, qui ne expreſsè quidem ſin tutore obligatur, quomodo obligabitur ta citè?

AXIO

AXIOMA XLI.

De pupillo delinquente.

Ait Caius, *Reg. 112. Pupillum, & qui proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & iniuriæ facienda.* Vt scilicet ex eis obligetur, *l. impuberem, de fur.* quod facit. Hinc summus Reip. favor, cuius interest delicta non esse impunita, *l. si longius, de iud.* illinc, quod non possit videri non intelligere quid agat, qui eiusmodi faciat, in quibus vel malitia peccatur, vt est iniuria: vel consilio, & arte, vt est furtum. Nam nec furtum sine dolo fit, *l. 1. de fur.* nec dolus est aliud quàm machinatio, *l. 1. de dol.*

AXIOMA XLII.

De his qui sunt in curatione.

In curatione sunt, masculi quidem puberes, fœminę autem viripotentes vsq; ad vicesimum quintum annum completum. Quia licèt puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, vt negotia sua tueri non possint, *de curat. in prin. in Institu.* Item furiosi & prodigi: item muti & surdi, quorum illi quidem (de furiosis & prodigis loquor) sunt in curatione agnatorum, (vt inquit Imper. *d. tit. §. 1.*) hoc est, ipso iure in eam incidunt: cæteris verò curatores dandi sunt, nec in curam incidunt ipso iure. Nam cùm testamentum condere, *§. item surdus, qui test. fa. poss. l. discretis, C. qui testa. facere poss.* & frustrari

agnatos

agnatos succeſſione poſſint, nónne iniquu eſſet eos inevitabili onere tutelæ, vel curæ administrandæ, ipſo iure gravari? Sed nunc de ſingulis ſeorſim, & primùm de furioſis, quorum conditio deterior eſt quàm prodigorum, *arg. l. is cui bonis, de ver. oblig.* deterior etiam quàm pupillorum.

AXIOMA XLIII.

De furioſis & prodigis.

Ait Pomponius, *Reg. 41. Furioſi, vel eius cui bonis interdicitur, nulla voluntas eſt.* Diſſimiliter tame Nam furioſi voluntas, quæ omninò nulla eſt nuſquàm valet, nec ſi acquirat, nec ſi alienet, *l. in negotiis, inf. hoc tit.* Nam vt ait Vlpianus, *Reg. 167. §. final. Furioſus abſentis loco eſt.* Hoc eſt, no magis conſentire in rẽ quæ agitur poteſt, quàm qui abeſt, dormit aut quieſcit. Prodigi verò hactenus furioſis ſunt ſimiles, ſi obligentur: hactenus diſſimiles, ſi acquirant & locupletentur. *d. l. is cui bonis, de verb. oblig.*

AXIOMA XLIV.

De furioſis & pupillis.

Ait Paulus, *Reg. 5. In negotiis cõtrahendis alia cauſa eſt furioſorum, alia eorum, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligant.* In eo enim ſunt ſimiles tamen alibi rurſus diſſimiles. Nam, *furioſus nullum negotium contrahere poteſt: Pupillus omnia negotia tutore autore agere poteſt.* In pupillo enim ve

aliqui

liquid est intellectus, vel saltem semina cre-
centis iudicii: In furioso verò nihil, §. *praeterea*
uib. nō est perm. fa. test. Iam verò, quod est aliquid,
acilè adiuvari potest, vt ꝑ pleno repiẽtetur,
l. quamvis, §. infans de acq. poss. quod verò penitus
ullum est, non recipit adiumentum, *l. obligatio-*
es, de acti. & obligat. non magis quàm mortuus
nedicinam.

AXIOMA XLV.

De muto & surdo.

Ait Vlpianus, *Reg. 164. Vbi non voce, sed praesentia*
pus est, mutus si intellectum habet, potest videri respon-
ere. Idem & in surdo, hic quidem respondere potest. Sed
: his, quia rebus suis superesse non possunt,
uratores dandi sunt, inquit Imper. *d. titu. de cu-*
it. §. furiosi. Ait, *Vbi praesentia opus est*: hoc est, præ-
entis & intelligentis consensu, figuratum est,
uemadmodum & prius absentia pro defectu
õsensus acceptum est, sic furiosus loco absen-
s est. Voce verò opus est in stipulatione, quæ
erbis fit, *l. 1. de verborum oblig.* quæ ideò in mutũ
on cadit, quia respondere non potest. Ideò nõ
i surdum, quia interrogantis verba exaudire
equit. Vtrunq; enim ad solennium consum-
iationem, *Vlpian. in frag. Instit. tit. de testa.* erat ne-
essarium.

AXIO-

AXIOMA XLVI.

De his, qui neutro iure tenentur.

Neutro iure tenentur, qui suæ potestati sunt, *l. obligari, de act. & oblig.* hoc est, nec in tutela, nec in curatione. Nunc ad postremam personarum divisionem veniamus.

AXIOMA XLVII.

De quartà & vltima personarum divisione.

Vltima personarum divisio, non tam divisio est, quàm variorum accidētium quæ in personas cadunt discrimina, *§. de quib. in tit. de sta hom.* quæ in facto magis quàm in iure versantur. Nam hominum alii mares sunt, alii fœminæ: sunt editi & concepti: sunt perfecti & monstrosi: sunt honorum civilium capaces, sunt incapaces, de quibus & alibi plura in ff. & nos hîc exigentibus id regulis in idem argumētum incidentibus, paulò plura dicere necesse habemus. Et quidem in primis ad honores quod attinet, quosdam à publicis & civilibus functionibus arcet ætas, vt sunt impuberes, alios conditio, vt servi, alios sexus, vt fœminæ, alios denique mores, vt infames.

AXIOMA XLVIII.

De impuberibus.

Ait Vlpianus, *Reg. 11. §. fi. Impuberes ab omnibus civili*

civilibus debent abstinere. Incivile est enim eos, qui alieno auxilio egere noscuntur, & intellectum non habent, ad res vel publicè, vel etiam privatim gerendas adhiberi, *§. item maior, de excusat.*

AXIOMA XLIX.

De servis.

Ait Vlpian. *In omnibus officiis, quæ fieri per liberas personas leges desiderant, servus intervenire non potest.* Non quia iudicium nõ habeat, sed quia hoc iure, ne quidem inter homines numeretur. *arg. tit. de leg. Aquil. in prin. in Inst. & Vlpian. in frag. Inst. tit. de acq. rer.*

AXIOMA L.

De fœminis.

Ait Vlpianus, *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt.* Tum quia sit illaudatum sexus muliebris pudorem ita perfricari, vt virilia faciat: tum quòd infirmum semper & fragile sit mulieris consilium, & expers rerum. Subiicit Vlpianus exempla: *Et ideò nec iudices esse possunt, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere.*

AXIOMA LI.

De infamibus.

Ait Canon, *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Tum quòd videantur Reipublicæ dedecori

decori futuri, *l. infamia C.de decuri.* tum quo metuendum sit, ne qui honoris & nominis si rationem non habuerunt, ius & æquum quod in rebus gerendis venale habituri sint: *arg.l.2.* de dignita.lib.12.*

AXIOMA LVI.

De rebus.

Tria sunt, quæ in omni re veniunt in considerationem, substantia, superficies, & acciden *arg.l.3.§.Pomponius ad exhiben.& argu.§.1.de oblig. male.in definitione furti, in fi.* De quibus hîc tracta re constituimus, primùm communiter, de eorum videlicet invicem communibus & differentiis: tum seorsum & separatim de singulis.

AXIOMA LIII.

Quid invicem commune, & quid differens habeant substantia, superficies, & accidens.

Illud hîc est considerandum; quòd etsi hæc substantia, superficies & accidens, in nulla rem naturalem communiter & simul non inc dant, ita vt ex his vna veluti res naturalis fi non est tamen eorum, vt per se sumuntur, vn eademque indoles & natura. Nam ex eo quò substantia & superficies magis & minus no recipiunt: & contra sit in accidente, quod qualitatibus mirè variat, *Arist. in Categoriis*: n scitur ille iuris effectus, quòd nec dominu eiusde

eiusdem rei sępius esse nostrum, nec superficies sæpius teneri aut occupari possit. At verò debe-ri, & in obligatione esse, sæpius possit, *l. non est novum, de act. empt.* Nimirum, quia dominium circa substantiam versetur, *vt in definitione vsus-fructus in fi.* possessio circa superficiem, *l. 1. de acq. poss.* obligatio verò circa accidens, *l. obligationum substantia, de act. & oblig.* Et hoc est, quod illo Pauli responso significari puto, cùm ait, *Reg. 120. Non, vt ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest & esse nostrum.* Nam (vt dixi) illud, nostrum seu in dominio nostro esse, attingit rei substantiam. Nobis verò ex obligatione aliqua rem deberi, attingit tantùm accidens; iam verò vt vnius rei vnicum tantùm est esse, ita non potest eadem res nisi semel, & ex vna causa fieri nostra, *d. l. non est novum.* Contrà verò, vt vnius rei plura possunt esse diversarum causarum accidentia (potest enim eadem res & moveri & quiescere, antrorsum & retrorsum ferri, vt in eo qui in navi vehitur) ita & sæpius potest eadem res in obligatione esse, & ex pluribus causis deberi, *arg. l. vlt. C. de novatio. & l. cùm illius. §. variis, de lega. 2.* Superficiem, diximus substantiæ quàm accidenti similiorem esse, vt quæ nec ipsa secundum magis minusque variet ac commutetur, nec magis vna eademque res naturalis à duobus in solidum possideri potest, quàm in solidū esse in duorum dominio, *l. si vt certo. §. si commoda, l. hereditate. §. pater. de castr. pecu.*

ne ſcilicet(quod abſurdiſſimum ſit) neceſſe
fieri penetrationum dimẽſionem, in quam i
cidemus, ſi eandem rem à pluribus in ſolidu
poſſidere poſſe fateamur. Quod ad ius transl
tum facit, vt vnius quoq; hereditatis vnus ta
tùm pro ſolido ſit heres: ars enim ſequitur n
turam, *§.minorem de adoptio.* Vnde quæ de reb
naturalibus dicuntur, eadẽ & rebus in iure co
ſiſtentibus convenient. Hereditas igitur q
res eſt, *tit.de reb.corp.& incorp. in fi.in Inſtit.*& ſu
ſtantiam habet, deferri quidem ex aliis cau
poterit: at noſtra eſſe, niſi ex vna cauſa non p
teſt. Et rurſus ab vno in ſolidum poſſeſſa & o
cupata, ab alio in ſolidum occupari & teneri e
dem non poterit. Sed & in eo ars naturam in
tatur, quòd quemadmodum natura à monſt
abhorret, ita & ius: Neque enim vna aliq
res naturalis diverſo iure cenſeri poteſt, *l.e*
qui ædes.de vſucapio. Et inde eſt quòd ait Iureco
ſultus, *Reg.7.Ius noſtrum non patitur eundem in pa-*
nis, & teſtato & inteſtato deceſſiſſe: earumque rer
inter ſe pugna eſt, vt teſtatus & inteſtatus quis ſit. R
præſentat enim hereditas perſonam defunc
tit.de ſtip.ſervo.in pri.in Inſtit. Iam verò, vt defun
perſona nullo diverſo iure cenſetur, ſic & h-
reditas debet eundem repræſentare, non qui
diverſo genere ſucceſſionis, ſed vno. Imò a-
plius, cùm in vno genere ſunt plures, debent
mnes ex eodẽ gradu venire, *§.ſi plures, de legit.*
ſucceſ. ne rurſus in eandẽ abſurditatẽ incidam
& p

ꝛ pluriũ heredũ (qui omnes vnius loco ſunt) onditio, diverſo iure cenſeatur. Et ideò eſt inentum ius repræſentationis, quod fingit eos q̃ radus ſunt remotioris, eſſe eiuſdẽ gradus cum iperioribus; *§. cum filius, de her. quæ ab intesta. defe.* deò autem in militum teſtamentis diverſum lacuit, quòd in iis, non tam heredes ipſos aut enera ſucceſſionum vel gradus, (quæ omnia ivilia ſunt) quàm nudam militum volũtatem ɔectemus, *de milita. teſt. in princ. in Inſtit.* quæ eſt ıerè naturalis, ita vt in illis regula illa civilis, uòd hereditas defuncti perſonam repræſen:t, nõ perinde accipiatur. Sed de his modò ſaı. Nunc ſeparatim de ſubſtantia, ſuperficie, & cidente diſſerendum eſt.

AXIOMA LIV.

De ſubſtantia rei ſeu dominio.

Paulò antè dictum eſt, dominium circa rei ıbſtantiam verſari, in quam trimembris incit inſpectio. 1. Quotuplex ſit dominii cõditio. Quæ eius vis & poteſtas. 3. Quomodo rerum ɔminia conſtituantur.

AXIOMA LV.

Quàm varia ſit dominii conditio.

Quintuplex omninò eſt dominii cõditio, *§. e rer. diviſ.* Nam rerũ aliæ ſunt cõmunes, hoc ,omniũ hominũ: aliæ publicæ, hoc eſt, vnius cuius Reipu. aliæ vniverſitatis, hoc eſt, non

quidem totius Reipub. sed alicuius corpori minoris, vt est Collegium argentariorum, alia singulorum, aliæ denique omninò nullius quæ omnia suis locis relinquemus, præterq. quòd de his, quæ nullius in bonis sunt, tales hîc incidant regulæ. Et primùm illa ex Canonibus *Can.51 Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* Hoc est non solùm in dominio esse non potest (de quo nemo dubitat, propterea quòd nullo pretio æstimabilis sit res sacra, *l.sacra, in fi.de re.divi.*) sed ne quidem ad vsu humanos, hoc est, eiusmodi qui non sunt sacri sed negotiationis gratia fiunt, transferri potest, vt est oppignoratio, *l.sancimus, C.de sacros. ecclesi.* quæ etsi non transferat dominium in accipientem, est tamen loco cuiusdam solutionis *arg.§.venditæ, de re.divis.iuncto §.fi.quib. mo. re.* & si per consequens, eam necesse est ad pretium reduci, & conferri cum eo quod debebatur. A verò quia sacræ rei nulla proportio est cum prophana, *l.sunt personæ, de religios.* fit vt sit absurdũ, rem sacrã solutionis vice fungi, & ad certam æstimationem reduci, sicque per consequens in singulorum patrimonium incidere possit vnde Vlpianus, *Reg.143 Quod nullius esse potest, id vt alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere.* Vt stipulatio rei sacræ, religiosæ aut sanctæ, quæ protinus est inutilis, *§.idemq., de inut.stip.* quemadmodum & eius quæ in rerum natura non est; non enim

enim

enim nullum poteſt eſſe accidens, *l. verùm, §. ſolvitur, pro ſocio.*

AXIOMA LVI.

De vi & effectu dominii.

Vis & effectus dominii in eo eſt, vt quod iure tenet quisque, id ab eo invito auferri non poſſit. Vnde Pomponius, *Reg 12. Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.* Vtpote traditione, *§. per traditionem, de rer. divi.* quæ facti eſt. Nam vt dominium cum ſubſtantia rei naturaliter eſſe coniunctum, paulò antè diximus, ita non poteſt quoque niſi ſubſtantia & re ipſa interveniente ad alium transferri, nempe per traditionem, quæ vt facti eſt, ita & factum, hoc eſt, conſenſum ac voluntatem facientis requirit: nam facere dicitur propriè, qui etiam vult, *arg. tit. ſi quadr. pau. fec. dica. in ſi. prin.* quæ ergo eiuſmodi ſunt vt à nobis invitis auferri poſſint, non ſunt propriè noſtra, vel noſtri dominij: vnde Caius, *Reg. 182 §. final. Non videtur perfectè id eſſe cuiuſquam, quod ex cauſa auferri poteſt.* Vt ſunt ea, quę vel ſub conditione ſunt data, vel ſub conditione tradita: quo poſteriore modo tranſit quidem dominium in accipientem, ſed non incommutabiliter, *l. ſi is cui, de do. ca. mor.* vt aiunt, nec ſine periculo revocationis. Simile eſt quod de evictionis periculo tradit Celſus, *Reg. 151. quod evincitur, in bonis non eſt.* Hoc eſt, quod in ea cauſa eſt, vt evinci poſſit, quamvis civiliter in

bonis ſit, propter vſucapiendi conditionẽ, *l. bonorum, §. in bonis, de ver. ſign.* revera tamen & naturaliter ſeu pleno iure non eſt, aliud eſt enim i dominio eſſe, aliud in bonis: nam hoc civile eſ illud naturale, *arg. d. §. in bonis. & l. rem in bonis, d acq. re. do.*

AXIOMA LVII.

Quomodo rerum dominia conſtituantur.

Rerum dominia, vel per acquiſitionem, ve retentionem, vel denique per alienationer conſtituuntur, *arg. l. fin. de legib.* quæ ſunt tre quodammodo proprietates dominii, ſecunc generis, vt loquitur Porphyrius: conveniunt e nim omni, nec tamẽ ſoli dominio. Nam & vt litates ex rebus, & rerum poſſeſſiones ad alic transferri poſſunt & alienari, manente interi apud verum dominum rei ipſius ſubſtantia dominio, *vt in tit. de vſufruct. in Inſtit.* De acquiſ tione primo loco dicemus: Per quas perſon nobis acquiratur, tum quàm variè res nobis ac quirantur.

AXIOMA LVIII.

Per quas perſonas nobis acquiratur.

Acquiritur nobis (inquit Imper. *tit. per qu perſo. in Inſtit.*) non ſolùm per noſmetipſos, ſe etiam per eos quos in poteſtate habemus, vt pc te per liberos noſtros; & per ſervos, de quibu anteà diximus non pauca. Serivi enim in ac

quirer

quirendo pro dominis habentur, *l.servus vetan-te,de ver.oblig.*& inde eſt, *Reg.175. Quòd melior con-ditio noſtra per ſervos fieri poteſt, deterior fieri non po-teſt.* Neque enim quod in favorem domino-rum eſt introductum, id in eorum odium de-bet redundare, *l.nulla,de legib.*

AXIOMA LIX.

Quàm variè res nobis acquirantur.

Acquirũtur nobis res, tum naturaliter, tum civiliter. Naturaliter quidem, per traditionem, *l.§.per traditionem,de re.divi.* vel quaſi, *l.quoties,2. de servitutib.* Nam incorporalia (vt ſervitutes) cùm per ſe res nõ ſint in rerum natura exiſten-tes, fit, vt nec poſſideri propriè, vel tradi poſſe videantur, niſi per patientiam, *d.l.quoties.2.* quæ eſt quædam quaſi traditio. Civiliter verò, duo-bus modis, nempe per Canonicam inſtitutio-nem, & per vſucapionem, latè ſcilicet accepto iuris civilis vocabulo, vt & Canonicum conti-neat, quomodo ius diſtinguimus à facto, *l.nec servus,de pec.* & ius civile ſoli naturę opponimus, *l.quod.attinet,ſupra tit.* non verò iuri gentium.

AXIOMA LX.

De Canonica inſtitutione.

Ait Canon, *Can.1. Beneficium eccleſiaſticum non poteſt ſine inſtitutione Canonica obtineri.* Quæ qui-dem inſtitutio, nuda inſtituentis voce & vo-luntate transfert ius beneficij in inſtitutum, *c. ſi tibi, de præb.& dignitate*, non ſecus quàm here-

dis institutione ius defuncti in heredem derivatur: adeò vt Canonica institutio faciat eum qui instituitur, quodammodo eius qui in eodem iure antecessit, heredem, ad beneficium quod attinet. Et quemadmodum heredis institutio solùm ius defuncti ad heredem transfert, non verò possessionem, *l. cùm heredes, de acq poss.* quæ facti est: ita & is qui in beneficium Ecclesiasticum est institutus, debet eò amplius & possessionis consequendæ nomine investiri, *c. adhæc vt nostrum, de off. archidi.* (vt Canones loquuntur) seu in possessionem introduci, alioqui fructuum & emolumentorum benefici nunquam capax futurus.

AXIOMA LXI.

De acquisitione per vsucapionem.

Traditionib. & vsucapionibus (inquit Imp. *l. traditionibus, C. de pact.* rerum dominia transferuntur: traditionibus quidem naturaliter, vt suprà dictum est. Nihil enim tam naturale est, quàm voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis, ratam haberi, *d. §. per traditionem.* Vsucapionibus verò civiliter: nam cùm alioqui naturaliter sit impossibile, quod meum est, sine meo facto à me discedere, & ad alium transferri, *l. id quod nostrum, hoc tit.* quia tamen & hinc non expedit Reipub. rerum dominia in incerto esse, *tit. de vsucap. in princ. in Instit.* & illinc alienare velle videatur dominus, *l. alienarum, de*

ver.

ver. sign. qui tam diu rem suam negligit, eamq; ab alio possideri patitur, donec vsucapiatur, fit vt juris potestate trāseat hîc dominium in possessorem, *l. 3. de vsucap.* Requiritur autem ad vsucapionē bona fides, possessio, justus titulus, *d. tit. de vsucap.* De singulis seorsim videamus.

AXIOMA LXII.

De bona fide.

Hoc quoq; argumentum in duo capita distrahemus, nempe qui sint bonæ fidei: tum de vi & effectu eiusdem. Ad prius quod attinet, eum dicimus in bona fide esse, qui justum & legitimum habet suæ possessionis initium, *l. bonæ fidei, de ver. sign.* vt cui donatum, legatum, testamento relictum est, qui emit ab eo quem credit esse dominum. Sed etsi emptor sciat alienā, emptioni tamen Prætor suam autoritatem interposuit, bonæ fidei emptor est. Vnde Vlpian. *Reg. 180. Qui autore iudice comparavit, bonæ fidei est.* Iustè enim possidet qui autore Prætore possidet, *l. iustè, de acq. poss.* & purgat alienæ rei conscientiam Prætoris autoritas: aliàs verò qui sciens emit aut accipit à non domino, vel contra leges, etiamsi ab ipso domino consequatur, malæ fidei est: hinc illud in Canone, *Can. 82. Qui contra iura mercatur, bonam fidem habere non præsumitur.* Obstat enim juris ignorantia, quę nemini prodest, *l. nunquam, de vsuca.* quamvis interim fieri

possit, vt in aliquo sit eius conditio, qui sciens à non domino emit, aut contra jura mercatus sit melior quàm prædonis, vt quia secundum Vlpia. *Reg. 169. Nemo prædo est, qui pretium numeravit.* Nam prædonis propriè est, non posse vllã causam suæ possessionis reddere, quiq; interrogatus cur possideat, respõsurus sit, quia possideo *l. pro herede. §. fi. cum l. seq. de petit. here.* atq; ita plurimum inter malæ fidei possessorem & prædonem interest, cùm hic nullum titulum habeat, ille verò aliquem, & ideò contra hunc petitio hereditatis, contra illum minimè competit.

AXIOMA LXIII.

De vi & effectu bonæ fidei.

Ait Paulus, *Reg. 179. Bona fides tantum possident. præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Inhibent enim lex 12. tab. & lex Attilia, vsucapionem rerum furtivarum, vi possessarum verò lex Iulia & Plautia, *§. furtivæ, de vsucap.* Qua in re nota leges speciales derogare generalibus. Ideoq; vitia ex his delictis contracta, dicũtur vitia rerũ, quòd res ipsas comitentur & afficiant ad quoscunq; tandem migrent possessores, *l. vitia, C. de acq. vel reti. poss.* Cætera verò personalia sunt vitia, coniuncta cum conscientia rei alienæ, *l. si fraude, C. de præs. long. temp.* quam ego quidem habere possum qui alienavi, is verò non habere qui eandem rem acceperit, atq; ita id

ita id personale est. Is ergo solus qui alienæ rei conscientiã habet, non præscribet, *c. fi. de præscr.* vt *Can. 2. Possessor malæ fidei vllo temp. non præscribit.* Alii verò qui bona fide ab eo quicquam accipiunt, vtiq; possunt vsucapere. Quatenus autem bona fide opus sit, in initio ne inchoatæ possessionis? an verò quamdiu quis possidet? distinguendum est ius Pontificium à Civili. Nam hîc initium satis est rectè inchoatum esse §. *diutina, de vsuca.* ibi etiam medio tempore, *d. c. fi.* idq; tam diversimodè, quòd possessio jure civili semel inchoata, sit juris, *l. possessio, de acq. poss.* quæ facto superveniente, tolli aut mutari non potest: quod ius Pontificium non inspicit, sed de facto & naturaliter singula rerum momẽta põderat, æquitati magis insistens, quàm stricto juri.

AXIOMA LXIIII.

De possessione.

Possessionis duplex est inspectio: nam vel de ea in genere tractatur, quatenus servit vsucapioni: vel in specie, quomodo scilicet acquiratur. Et quidẽ ad vsucapionem quod attinet: talis in Canonibus est regula, *Can. 3. Sine possessione vsucapio non procedit.* Neque enim dominium quod cum substantia rei est coniunctum, *arg. d. §. per traditio.* transferri potest, nisi etiam substantia naturaliter interveniat, quod

fit vel

fit vel per traditionem, vel per possessionem, quæ etsi circa superficiem versetur, substātiam rei tamen perpetuò sequitur: adeò, vt voluntate domini tamdiu silentis & rem suam vsucapi sinentis, videatur res alienata esse, *l. alienatum de verb. sig.* & hoc est quod ait, *d. l. traditionib.* Imp. Traditionibus & vsucapionibus rerum dominia trāsferri. Planè cùm hæc possessio de qua in vsucapione agitur, sit juris, *d. l. possessio*, necesse est vt etsi facti quoq; plurimum habeat, sit tamen liber & Civis Rom. in quem ea incidet, & ideò Paulus ait, *Reg. 161.* quòd *Qui in servitute est, vsucapere non potest: nam cùm possideatur, possidere nō videtur.* Quæ res ex his evadet clarissima, quæ priùs de vi & effectu alienæ potestatis sunt tradita. Nunc quomodo acquiratur possessio, & de duplici eius specie.

AXIOMA LXV.

Quomodo acquiratur Possessio, & de duplici eius specie.

Ait Paulus, *Reg. 196. vers. final. Vt nulla possessio acquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla possessio amitti potest, nisi in qua vtrumq; in contrarium actum est.* Ratio est in principio eiusdem huius responsi, nempe quia nihil tam sit naturale, quàm vnumquodq; ita dissolui, vt est colligatum. Et cùm factum sit materia juris *l. si ex plagis, §. in clivo. ad leg. Aquil.* voluntas verò & consensus sit forma, *l. 1. §. pe. de pact.* fit vt nec solo animo acquiri

quiri possessio, (quæ juris sit, & subordinata vsucapioni, de qua sola hîc loquitur Paulus) possit, quòd videlicet desit materia, perinde vt nec transfertur sine traditione dominium: nec etiam solo corpore, quòd ibi desit forma, quæ juris conditionem perinde factis instillat, vt anima corpori.

AXIOMA LXVI.

De titulo.

Sed & justus titulus requiritur in vsucapionibus, *l. fi. C. de vsucap. pro hæred.* Iustum voco, qui ex causa aliqua idonea ad translationem dominii faciendam, si traditio sit insecuta, veniat: quales sunt donatio, successio, sub qua legatum & fideicommissum continetur. Et hac occasione, titulo de vsucapionibus subiecit Imper. statim hos tractatus, quòd scilicet, neq; ad causam naturalem penitus pertinerent, neq; ad civiles, sed mixti ex vtrisq; essent. Nam si donator aut defunctus, olim dominus rei donatæ vel à se relictæ fuit, iam nullam habet ea res dubitationem, quin per traditionē ex ea causa factam, statim iturum sit ad accipiētem dominium, *d. §. per traditionem, & d. l. traditionibus*. Si nō fuit, tum propter justum titulum erit saltem vsucapiendi conditio accipienti acquisita. Nō dissimile huic est, quod Tribonianus in *lib. 41. pan.* statim titulo de vsucapionibus, subiecit obiter summa capita illorum titulorum, ex quibus

bus vſucapiendi conditio poſſeſſori procedit. In Inſtitutionibus verò illa occaſione, de iiſdẽ titulis tractat etiam feriò: De donationibus, ſucceſſionibus, legatis, fideicommiſſis & ſimilibus. Quem ordinem rerum tractandarum (vt & priùs admonuimus) nos in iſtis regulis diſponendis ſumus ſecuturi. Proximum ergo eſt, vt de donationibus dicamus.

AXIOMA LXVII.

De donationibus:

Pulchrum in hoc argumento Papiniani reſponſum extat in tractatu regularum, quid ea ſit, cùm ait, *Reg. 83. Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.* Conſtat enim ſola liberalitate donatio, *l. 1. de donatio.* adeò vt donator non poſſit ad eiuſdem rei ſolutionem ex alia cauſa faciendam, actione compelli, aut poſt ſolutionem ſpontaneam, indebitum repetens, pati exceptionem retentionis, quod eſt apertiſſimum indicium, nulla eum neceſſitate dediſſe, *l. naturales, de actio. & obli.* Nunc ordinarium eſt, vt ad Succeſſionem deſcendamus.

AXIOMA LXVIII.

De ſucceßione in genere, & eius effectu.

Duplex acquirendarum rerum per ſucceſſionẽ eſt ratio. Nã vel ſuccedimus in vniverſitatem bonorũ, vel in res ſingulas, In vniverſi-

tatem

tatem quidem modis quatuor, *§. si per quas perso. nob. acq.* nempe per hereditatem, per bonorũ possessionem, per arrogationem, per addictionem. In res singulas verò per legatum, fideicõmissum & contractum, quam tamen traditio sit subsecuta. Qui mod' posterior vel eo maximè differt à reliquis duobus, quòd per legatum transeat dominium rei in legatarium etiam citra traditionem, *l. à Titio de furt.* ex contractu verò minimè. Nam obligationum substantia non in eo consistit, vt aliquid fiat nostrum, sed vt nobis debeatur, *l. obligationum substantia, de actio. & obli.* Quomodocunq; tamen sit nobis res acquisita, vel per vniversitatem, ius, vel ex aliqua particulari causa, res singulæ: æquè tamen semper in ius alterius successisse quodam modo videmur; diversimodè tamen. Nam qui ex aliqua causa vniversali in ius succedit, is in idem numero ius venit; *arg. l. hereditas infr. eo.* quod penes eum fuit, à quo causam habet: & ideò etiam juris successores appellantur. In quo successionis genere tanta vis est juris, vt rerum nulla consideratio habeatur. Nam ius hereditatis per se subsistit, & conservari ac incolume esse potest, etiamsi nullæ penitus in hereditate sint res, *leg. hereditas de petit. heredit.* Cæteri verò qui in res singulas succedunt, veniunt quidem in ius alterius, nam fiunt domini eius rei, quæ fuit alterius, at non est illud ius numero, sed tantum

specie

ſpecie idem cum eo jure, quod penes autore
fuit: vnde fit, vt non juris ſucceſſores appell
tur, *§. legatariis, de teſt. ordi.* eo nimirum inſpect
quòd etſi eadem res tranſeat ad novum domi
num, non eſt tamen mutato domino, in eode
dominio in quo fuit antè, ſed in alio. Quemad
modũ qui in poteſtate eſt ſervus, ſi væneat v
alienetur, manet quidem, (vt & antè fuit
ſervus, & fit alienæ poteſtatis: at non eſt ill
numero eadem poteſtas, cum hac vnde eſt e
greſſus. Illud autem in omni ſucceſſionis gene
re eſt vſitatum, vt ſeu vniverſalis juris quiſqu
ſit ſucceſſor, ſeu rerum ſingularium, ſempe
tranſeat in eum jus, cum ſua cauſa, *arg. l. tradit*
de acqu. rer. do. hoc eſt, ſic affectum, vt erat pen
eum à quo cauſam habet. Et huc illæ regul
ſpectant. *Reg. 138. Qui in ius damnumve alterius ſucce*
dit, iure eius vti debet. Ecce vtramq; ſucceſſio
nis ſpeciem: Nam qui in jus alterius ſuccedi
eſt ſucceſſor vniverſalis. Cum quo conſentit il
la regula in Canon. *Can. 46. Is qui in ius ſuccedit a*
terius, eo iure quo ille, vti debet. Qui verò in domi
nium ſuccedit alicui, eſt particularis, ſeu reru
ſingularum ſucceſſor, *d. l. legatariis.* quemadmo
dum & paulò antè diximus, dominium circ
res ſingulas & individui ſubſtantiam verſar
arg. §. per traditionem, de rer. diviſ. (niſi fortè do
minii vocem latiùs pro quocunq; jure accip
quis exiſtimet) *vt in l. in omnibus negotiis, de act*
& obli.) Vtrumq; ſimul vna voce complexus e
Vlpianu

Vlpianus: *Reg. 198. §. 11. Cùm quis in alicuius locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod adversus eum non nocuit, in cuius locũ successit.* Vtrumq; enim significat in locum succedere, & vniversalem successionem in jus, & particularem in rem dominiúmve. Sed & aliæ duæ particularium successionum sunt regulæ, nimirum de his qui ex aliquo contractu causam habent ab aliquo, & specialiter de emptore. Prioris generis est illa Vlpiani regula; *Reg. 188. Quod ipsis qui contraxerunt, obstat, & successoribus eorum obstabit.* Posterioris generis est illa, & ipsa Vlpiani, *Reg. 198. §. penult. Plerumq; emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit autorũ.* Sit exemplum in emptore hereditatis, qui etsi non sit ipse per se hæres, perinde tamen eodem jure vti debet, quo is cuius persona fungitur: præterquàm quod vtiles tantùm actiones habeat cõtra creditores hereditarios ex cessione *l. emptor hereditatis, C. de her. vel act. vend.* directis manentibus apud ipsum heredem, *l. per diversas, C. mand.*

AXIOMA LXIX.

De acquisitione per hereditatem.

Hereditatis tractatio in aliquot infrà se articulos & capita minora discedit. Primùm quid sit ista, quot modis, & quomodo deferatur: delata, quomodo acquiratur: postremò, de eius repudiatione.

AXIOMA LXX.

Quid sit hereditas.

Ait Iulianus, *Reg. 63. Hereditas nihil aliud est, quàm successio in vniversum ius quod defunctus habuit, tempore mortis.* Gaudent enim Iureconsulti abstracta definire per abstracta, ducto argumento à coniugatis. Nam quemadmodum nuptias contrahere, est coniungi, ita nuptiæ sunt coniunctio: & vt servi sunt constituti jure gētium, ita servitus est constitutio: deniq; vt heredem fieri est succedere, ita hereditas est successio. Quæ omnia in concretum (vt Dialectici loquuntur) dissoluenda sunt, vt nuptia est coniunctio, *l. 1. de ri. nupt.* hoc est, ius coniungens. Servitus est constitutio, *l. 4. de sta. ho.* hoc est, ius constitutum. Vsucapio, est adiectio dominii, *l. 3. de vsucapio.* hoc est, ius adjiciens dominium. Hereditas est successio, hoc est, ius succedens in locum defuncti. Quod tantisper nom[en] suum retinet, donec adeatur: post aditionem verò, cōfusum cum bonis adeuntis, amittit nomen hereditatis, *arg. l. sed si plures, § si filio. de vulg. & pup.* & iam non amplius nudum ius, sed persona heredis, incipit locum personæ defunctæ tenere. Vnde Vlpianus, *Reg. 60. Heredem eiusdem iuris esse, cuius fuit defunctus, constat.* Et iterum Vlpia. *Reg. 171. §. final. Hi qui in vniversum ius succedunt, heredum loco habentur.* Habet autem heres nomen ab hærendo, quòd in eum

cont

continuentur jura defuncti, eique sic cohæreat, vt eadem persona cum eo videatur. Vnde etsi propriè is dicatur heres, qui ipse alicui proximè successit, nihilominus tamen & vlteriores quodammodo remotioris heredes esse intelliguntur, *l. heredis appellatio, de verborum sig.* Vt, exempli gratia: Mævio successit Titius, & rursus, post annos aliquot Titio Sempronius, vt qui cum hereditate Titii, acceperit etiam (sed tacitè) hereditatem Mævii, idque per interpositam personam, & (vt aiunt) per quandam veluti longam manum. Et sic illud Modestini responsum intelligo, cùm ait, *Reg. 155. Qui per successionem quamvis longissimam, defuncto heredes extiterint, non minus heredes intelliguntur, quàm qui principaliter heredes extiterint.* Quod non tam ex vi verborum, quàm ex vtilitate receptum esse, *l. fi. C. de hered. insti.* docet alio loco Alciatus, *ad d. l. heredis.*

AXIOMA LXXI

Quot modis & quomodo deferatur hereditas.

Defertur hereditas vel ex testamento, vel ab intestato. Verùm vt in cōtractibus primùm, & ante omnia inspicimus quid sit actum *l. semper in stipulationib⁹, de reg. iur.* ità & in successionib.

prima causa eorum est, qui testamento sunt instituti. Vnde Paulus, *Reg. 90. Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.* Si nihil sit actum, tunc juris dispositioni locus est. Tunc autem nihil actum intelligitur, quando is qui decessit, manet intestatus: quod accidit quandò aut omninò nullum conditum est testamentum, aut id quod est conditum, ruptum irritúmve factum est: aut deniq; si nemo heres ex cõdito semel testamento extiterit, *tit. de her. quæ ab intesta. defe. in prin.* Vnde Vlpianus, *Reg. 124. Si nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti soluitur.* Pendent enim cætera, quæ in testamento scripta sunt, ex heredis institutione, *l. inter cætera, de libe. & posth.* quæ totius testamenti caput est ac fundamentum, *§. ante heredis, de legat.*

AXIOMA LXXII.

Delata hereditas quomodo acquiratur.

Hîc separanda est suorum heredum conditio (quibus simul cum ipsa delatione, statim & ipso jure acquisita est hereditas, *§. sui, d. tit. de here. quæ ab intest.*) ab extraneis, qui delatam vel testamento, vel ab intestato debẽt adire, *§. extraneis, de hered. qual. & diff.* Cuius quidem aditionis duo sunt capita, nimirum: Quomodo fiat: tum de eius vi & effectu.

AXIOM

AXIOMA LXXIII.

Quomodo fiat aditio.

Duobus modis fit aditio. Semel, cùm is, cui delata est hereditas, gerit se pro herede. Iterum, Nuda voluntate, §. *vlt. d. tit.* Pro herede gerendo fit heres, qui non deliberat, & simpliciter immiscet se hereditati, facto declarans se velle heredem esse. Is verò nuda voluntate adit, qui deliberat, & interim etiam pro herede se gerit, quod ei deliberanti & intrà cretionis tempora versanti non obest, quamdiu non accessit voluntas, hoc est quamdiu non declaravit se velle quoq; heredem esse: & ob id tunc dicitur nuda voluntate fieri heres, quod ei non obsit interim se pro herede gessisse, *Vlp. in fragmento Instit. tit. 22.*

AXIOMA LXXIIII.

De vi & effectu aditionis.

Præterquàm quòd aditio heredem faciat eũ, cui delata erat hereditas, coniungit etiam momenta mortis testatoris, cum extremis aditionis, qua de re ita Celsus, *Reg. 154. Omnia ferè iura heredum perinde habentur, ac si continuò sub tempore mortis heredes extitissent.* Et Paulus, *Reg. 181. Omnis hereditas quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.* Idq; propter juris conditionem, quòd nisi connexione illa extremorum vtriusq; temporis vnitum conservetur, non

tam poterit videri heres in idem numero ius, quod penes defunctũ fuit, quàm in aliud quoddam ei simile, & à priore diversum, successisse, *arg.§.si ab hostib.quib. mo.ius pa.po.sol.* Nam ius semel extinctum, idem numero nunquam revivifcit, *l.qui res,§.aream,de solutio.*

AXIOMA LXXV.
De repudiatione hereditatis.

Sed & repudiatio propriè est extraneorum, vt aditio. Nam sui cùm ipso jure fiant heredes, non tam repudiare dicuntur quàm abstinere, *d.§.extraneis,de her.qual.* hoc est, tantùm non immiscere se hereditati: quod beneficium est eis à Prætore concessum, & ea ratione relaxata necessitas. At verò repudiationem hîc generaliter etiam pro abstentione accipimus, de qua primùm illud dicemus: Quomodo fiat: Tum qui repudiare possint; ac tertiò de vi & effectu repudiationis.

AXIOMA LXXVI.
Quomodo fiat repudiatio.

Repudiatio hereditatis iisdem fit modis quibus aditio: nimirum vel solo animo nudaq; voluntate, vel re ipsa & facto, *l.recusari,de acq.hered.* Vnde Vlpia. *Reg.6.Non vult heres esse, qui ad alium transferri voluit hereditatem, l.filium emancipatum d.tit.* Scio quosdam, *Dec, Acc. & Barth hîc,* esse qui transferre legant, & conformiter illa ver-

b:

ba(nō vult heres esse) cum effectu intelligant. Quorum sententiam in re tam obscura, non video cur admodum improbem.

AXIOMA LXXVII.

Quis possit repudiare hereditatem.

Is repudiare potest, cui ius quæsitum est ad acquirendum, si velit. Ius enim non quæsitum, repudiari non potest. *l. si ita scriptum, §. 1. de leg. 2.* Hinc illud Vlpiani, *Reg. 35. § final. Quod quis, si velit, habere non potest, repudiare non potest.* Privatio enim præsupponit habitum, *l. decem, de ver. obl.* vt priùs dictum est.

AXIOMA LXXVIII.

De vi & effectu repudiationis.

Ait Paulus, *Reg. 92. Quoties duplici iure defertur alicui successio, repudiato novo iure quod antè defertur, supererit vetus.* Novum ius vocat Paulus (quod antè defertur) vt est successio testamentaria, cuius semper prima causa est, *l. quamdiu suprà eo.* semperq; novam habet ex quolibet testamento à voluntate testatoris originem. At verò ius vetus appellat Iureconsf. quod antiquam & vetustam habet ex legibus 12. tab. originem, semper & perpetuò durabilem, vt est Successio ab intestato. Vnde qui successioni ex testamento renunciat, videtur tacitè viam sibi facere velle ad alterum genus

ſucceſſionis ab inteſtato, non verò contrà: nam qui ſucceſſioni ab inteſtato renunciat, ab vtraque diſcedit, *l. in plurium, de acq. here. Bart. ad l. necis § heres, d. tit.* ab hac quidem expreſsè, ab illa verò tacitè, propterea quòd non potuit ad conſiliũ inteſtatæ ſucceſſionis videri acceſſiſſe quiſquam, qui non antè ſecum conſtituerit nolle ex teſtamento venire, vt quæ ſit in ordine reri gerendarum anterior, *d. l quamdiu.*

AXIOMA LXXIX.

De bonorum poſſeſſionibus.

Ordinarium eſt modò vt ad ſecundam rationem acquirendarum rerum per vniverſitatem accedamus, quæ eſt bonorum poſſeſſio: de qua ſic Paulus, *Reg. 118. Præter bonorum poſſeſſorem pro herede in omni cauſa habet.* Nam cùm per legẽ aut ſimilem juris conſtitutionem veluti S. conſulta, heredes fiant, *§. quos autem, de bo. poſſ.* conſequens eſt per Prætorem non poſſe fieri heredem, vt qui non legiſlator, ſed tantùm legis Po. aut Senatu latæ, ſit interpres, *§. nam & ipſum de iuſti. & iu.* vnde nec edictis ab eo propoſitis olim perpetua, ſed tantùm annua erat autoritas *de perp. & temp. actio. in prin.* ſecũdũ quæ edicta, ol ſolum honorem illi magiſtratui delatum, tan tillo tempore ſinebat Pop. Romanus à Prætore ius dici, ita vt inde ius à Prætore conſtitutum

utum, sit ius honorarium appellatum, §. *pratorum, de iu.nat.gent.*

AXIOMA LXXX.

De acquisitione per arrogationem.

Est & alterius generis (inquit Imp. *tit. de acq. per arrogat. lib. 3. Instit.*) per vniuersitatem successio, quæ neque legibus 12. tab. neque Prætoris edicto, sed iure moribus recepto, introducta est. Ecce enim, cùm pater fam. sese dat arrogandum, omnes eius res & corporales & incorporales, patri arrogatori acquiruntur, adeò vt & liber homo arrogatus incidat in eius potestatem à quo se permittit arrogari. Verùm vt res eius augēt patrimonium patris arrogatoris, ita persona liberi hominis arrogati auget familiam, *tit. de adoptio. in Instit.* inter quæ tantùm interest, quantum inter res & personas, nam res sunt bonorũ, personæ verò sunt familiæ, *l. pronunciatio. §. 1. & 2. de ver. sig.* nam alioqui vt liberum hominem in bonis esse dicas, absurdissimum est, *l. liber homo.* vnde aurea illa Vlpiani regula, *Reg. 169. §. 1. Locupletior non est, qui liberum acquisierit*, hoc est, filium filiamve, nepotem vel neptem in potestate. Est enim liberorum nomen iuris, *l. liberorum, de ver. sign.* rarò aliter quàm plurali numero vsitatum: quamvis hîc singulari numero ea voce vsus sit Iurecõsultus, quemadmodum alibi Codicillum pro Codicillis dixit Imp. *l. non codicillum, C. de test.* Sunt qui hanc

vocem (liberum) hîc ad liberum hominem putent referendam, quorum sententiæ nos non admodum repugnare, testantur axiomata præcedentia. De quarta & vltima specie acquirendarum rerum per vniversitatem nihil hîc dicemus, tum quòd non sit magni vsus, tum quòd in eam nullæ incidant regulæ.

AXIOMA LXXXI.

De successione in res singulas.

In res singulas succeditur vel testamento, vel Codicillis, quibus hereditas nec relinqui, nec adimi (ne scilicet confundatur ius testamentorum & Codicillorum, §. *Codicillis, de Codic*). sed tantùm legata & fideicommissa scrib possunt, qui sunt duo tituli successionum singularium.

AXIOMA LXXXII.

De legatis & fideicommissis.

Magna olim inter legata & fideicommissa e rat differentia, *l.2.C.com. de lega. & fideicom.* nun verò legata fideicommissis per omnia exæquat sunt, ita vt quod deest legatis, hoc repleatur e natura fideicõmissorum: & si quid ampliùs es in legatis, per hoc crescat fideicommissorũ na tura, §. *sed non vsque, de leg.* manente interim salv & incolumi ipsarum rerum substantia: quæ i eo consistit, vt quod legatum est, recta via pe mortẽ testatoris acquiratur legatario, *d.l. à Ti tio, d*

o, *de furt.* perinde atq; si ei manu testatoris sit aditum: fideicommissum verò per obliquum, t si testator fundum Sempronio relinquat, ro etque vt eum porrò alteri restituat: hic sanè empronius, cui directis verbis fundus est relitus, etiamsi eum manu heredis traditum sibi ossideat, potest quidem dici accepisse, at verò episse, minimè, *l. aliud capere, de ver. sign.* eò quòd on sic habeat traditum vt retineat. Et hoc est uod voluit Caius, *Non videtur quisquam id capere, uod ei necesse est alteri restituere.* Est enim capiendi ocabulum iuris, & cum effectu accipiendum, uemadmodum & pervenisse illud dicitur, uod est remansurum, *d. l. aliud.* Et hactenus uidem de prima specie constituendi dominii, uæ est acquisitio: nunc proxima est retentio.

AXIOMA LXXXII.

De retentione.

Sed & in retentione dominii causa continetur, perinde vt in hereditate & legato. Nam etsi estator, qui totam hereditatē ita legatis exhauit, vt non sit heredi salva & incolumis quarta futura: ipso tamen iure lex Falcidia minuit legatorum modum, *l. in quantitate, §. in diem ad leg. Falcid.* & retentione sibi consulit heres, detracta singulis legatis quarta. Item si quis totam hereditatem alicui restituere rogatus sit, totius quidem hereditatis quodammodo de-

do debitor est, dedit tamē ei S.consultum Trebellianum quartæ partis retentionem, *tit. de fideicom. hered. in Instit.* quam quidem quartam heres fideicommisso gravatus non habet iudicio testatoris, qui totam restitui iussit, sed eam à se ipso per retentionem consequitur, vt hinc satis appareat, retentionem & ipsam esse quandam acquisitionis speciem, adeò vt in contractibus & obligationibus interdum etiam solutionis loco fungatur, *l. naturales. de act. & oblig.* Nam naturales obligationes, etsi non habeant causam satis efficacem ad pulsandum actionibus debitorem, si tamen aliquo casu is qui alteri naturaliter obligatus est, solvat, non habet tanquam indebitè soluti repetitionem, *toto tit. de condict. indeb.* & creditor se contra eum exceptione retentionis tuetur, retentione videlicet locum solutionis implente.

AXIOMA LXXXIV.

De alienatione.

Ad alienationem ista ferè capita incidunt quæ res alienentur; tum de propriis alienationis. Nam illud, qui alienare possint, aut non possint, hîc non attingemus, quòd nec regulæ in eam partem incidentes id requirant, & alioqui satis ex Institutionibus, *tit. quibus alien. licet vel non licet*, satis possit esse manifestum.

AXIO

AXIOMA LXXXV.

Quæ res alienentur?

Alienatio solarum rerum est, *arg. l. alienatum. de verb. sig.* vnde quia qui vendit, qui manumittit, qui servitutem aut vsumfructum cōstituit, qui pignus dat; quia alienat aliquid, *l. sancimus C. de reb. al. non al. & l. alienationis. de verb. sign.* necesse est vt semper aliquid rei vel iuris sui ad alium transferat: Possessionis verò nulla est alienatio. Vnde Vlpian. *Reg. 162. Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem.* Est enim alienatio quoddam accidens rei seu dominii, *d. l. alienatum.* possessio verò circa superficiem tantùm versatur, *l. 1. de acq. poss.* vnde qui ab ea discedit, nō videtur quicquam iuris sui amisisse; cùm possessio tantùm sit facti, *d. l. 1.*

AXIOMA LXXXVI.

De propriis alienationis.

Illud proprium est alienationi, vt, *Reg. 55. Nemo plus iuris in alium transferat, quàm ipse habeat.* Et in Canon. *Can. 79. Nemo potest plus iuris ad alium transferre, quàm sibi competere dinoscatur*: & hinc multæ aliæ emanaverunt. Vlpia. *Reg. 136. §. final. Non debeo melioris conditionis esse, quàm autor meus, à quo ius in me transiit.* Et Paulus, *Reg. 166. Nemo plus commodi heredi suo reliquit, quàm ipse habeat.* Quemadmodum & de legato respondit Vlpian. *Reg. 21. §. final. Absurdum est, plus iuris habere eum, cui le-*

gatus sit fundus, quàm heredem aut ipsum testatorem, viveret.

AXIOMA LXXXVII.

De superficie seu possessione.

Priùs dictum est, *suprà eo. axio.* in rebus tripli cem esse considerationem, substantiæ, superfi ciei & accidentium. De substantia (cui respon det dominium) hactenus abundè tractatũ es nunc proxima est superficies, circa quam ver satur possessio: quæ hîc suum locum sortieba tur, nisi priùs, *supra eo. axio. 64.* argumẽtum vsu capionis postulasset, vt ad exemplum eius ordi nis quem in *π. lib. 41. Pan.* tenuit Imp. vbi de pos sessione, tractaremus: quare quæ sunt ibi dicta hîc pro repetitis habebimus.

AXIOMA LXXXVIII.

De accidente rei.

Tertia & vltima consideratio circa rem, est accidentis, quę in eo cõsistit, vt res aliqua nobis obligatione debeatur: quæ quidẽ obligation varietas multiplex est, & varium rerum vsum præbet hominibus, quãdo res aliena vel cõmo data nobis, aut pignori data, aut vendita, vel lo cata est. Qua in re etsi personæ contrahente principaliter obligatione teneantur, *vt in defi nit. oblig. in verb. qua necessitate astringimur*, negar tamen nõn potest, quin ipsa per se res sit in ob ligatione. *l. 3. de ac. & obl. arg. l. Mævius. de le. 2.* vnd

quo

quod res mutuo, cõmodato, vel pignori dari, vendi locarive possint, est quidam veluti singularum rerum fructus. Vnde illud Iavoleni, *Reg. 72. Fructus rei est, vel pignori dare licere.* At horum accidentium tractatio, specialem habet apud Iustinianum inspectionem, nempe de obligationibus, de quibus & nos hîc, poscentibus id regulis, tractare plura constituimus.

AXIOMA LXXXIX.

De obligationibus & contractibus.

Contractuũ & obligationum tractatum in sex omninò capita deducemus. 1. Quid sit obligatio, quæque sit eius forma. 2. Quomodo dividatur. 3. De obligationum vitiis. 4. Contracta obligatio quomodo finiatur. 5. De his qui veniunt & incidunt in contractum. 6. De accessionibus & appendiciis contractuum.

AXIOMA XC.

De obligatione quid ea sit, & quæ eius forma.

Obligatio (inquit Imp. *tit. de obl. in princ. in Inst.*) est iuris vinculũ, quo necessitate astringimur alicuius rei solvendæ, secundum nostræ civitatis iura. Forma verò obligationis est consensus, qui à nulla omninò contractus specie potest abesse, *l. 1. §. pen. de pactis.* ad hoc vt nascatur obligatio: quamvis interim aliis atque aliis differentiis accedentibus

contin-

contingat, vt non vnius generis sint omne obligationes: nam si præter consensum etiar verba sint necessaria; vel rei interventus, iar vel verborum obligatio contrahetur, vel r contracta dicetur, dum tamen, vt dixi, sempe cõmunis illa forma accedat, quæ est consensu: *d.§.pe.* qui vt pariat obligationẽ duobus maxi mè est opus, certa scientia, & libera voluntat quorum vtrumque hoc Papiniani respons est expressum, *Reg.77.In totum, omnia quæ animi de stinatione agenda sunt; non nisi vera & certa scient perfici possunt.* Vera quidem, hoc est, non vi a metu coacta. Nam coacta voluntas, est quide ea voluntas, *l.si eum exceptione, §.eum; quod met can.* at non propriè. Certa verò, hoc est, non e roribus agitata. Nam nihil adeò cum consent pugnat, vt error, *l. si per errorem, de iurisdict.* De v troque ergo seorsim: de errore nimirum, tur de libera voluntate.

AXIOMA XCI.

De errore.

Ait Vlpianus, *Reg.117.§ final. Non videntur con sentire qui errant.* Neque enim cõsensus est aliu quàm duorum idem sentientium conspirati *l.1.de pact.* quod in errore, vbi in diversas part discedunt agentium voluntates, non conti git, *l.si ego, si cer.pe.*

AXI(

AXIOMA XCII.

De libera voluntate, & eius contrariis vi atque metu.

Libera quoque voluntas est ad solidum cōsensum necessaria, cui contraria sunt vis atque metus. Vnde Vlpianus, *Reg. 117. in prin.* *Nihil consensui tam contrarium est (qui & bonæ fidei iudicia sustinet) quàm vis atque metus, quem comprobasse contra bonos mores est.* Non sunt illa postrema verba (quem comprobasse contra bonos mores est) omninò otiosa: nam cùm is qui vi aut metu inductus est quodammodo consentiat, *d. §. eum.* fit vt etiam stricto iure obligetur, *§. 1. de exceptio.* At rursus quia liber non fuit consensus, & alioqui non sit æquum, vt alicuius melior ex delicto suo fiat conditio, *l. non fraudantur. §. fin. hoc tit.* evenit vt Prætor (qui est æquitatis custos & interpres, *l. nam & ipsum. de iustit. & iure.*) illā obligationem approbet, & restitutione in integrū, vim aut metum passo succurrat, dum tamen vis enormis sit, & metus iustus. Alioqui vt ait Celsus, *Reg. 146. Vani timoris nō iusta excusatio est.* Quod enim contra rigorem iuris fit, debet secum iustissimam afferre causam, vt illi rigori præponderet, *l. in honorariis. in fi. de actio. & oblig.* Et hoc est quod aiunt, Prætorem de minimis non esse sollicitum, *l. Seio. de restit. in inte.*

AXIOMA XCIII.

Quomodo dividatur obligatio.

Quatuor ſunt principes in hoc articulo di-
viſiones, vna à cauſa efficiente: altera à propri
rei ſubſtantia: Tertia à materia: Quarta & vl
ma ab accidente.

AXIOMA XCIV.

Diviſio obligationis à cauſa efficiente.

A cauſa efficiẽte ſumpta eſt illa diviſio, qu
alia ſit civilis, alia verò Prætoria. Nam ſola a
toritas facit, vt vel huius generis ſit obligati
vel illius, *§.1.de obligat.* nulla interim habitâ co
ſideratione eius vnde oriatur. Et quæ iuris ci
lis autoritate fulcitur, eſt civilis: quæ verò civ
lem cauſam nullam habet, ſed ex ſola Prætor
iurisdictione venit, eſt Prætoria.

AXIOMA XCV.

Diviſio obligationis à propria rei ſubſtantia.

Ad ſubſtantiam obligationũ pertinet illu
quòd earum alia ſit naturalis, alia verò civilis,
naturales.de act.& oblig. Nam quæ civili vincu
afficit cõtrahentes, eſt civilis: quæ verò tantù
naturali, eſt naturalis. Vnde Paul⁹, *Reg.85.§.fin.*
Is natura debet, quẽ iure gentiũ dare oportet, cuius fi
ſecuti ſumus. Frequens eſt. n. vt illa vocẽtur nat
ralia, quæ ſunt iuris gentium, *d.l.naturales,* idq
pro

propter rationem naturalem, qua cōstant: vnde iurisgentium obligationes, propter cōsensum (qui est naturalis: propter autoritatem verò iuris civilis, quæ illis obligationibus accessit, *l. iurisgentium. de pact.* dicuntur civiles, & civiliter etiam afficiunt.

AXIOMA XCVI.

Divisio obligationis à materia.

Ex facto, inquit Iureconsul. *l. si ex plagis. §. in livo. ad leg. Aquil.* ius oritur. Sunt autem facta non vnius generis omnia: nam quædam in speciem contractus cadunt, quæ vltrò citroque inter duos pluresve geruntur: alia sunt merè facta, & ab vno solo fiunt, vt sunt maleficia; vnde obligationum quædam ex contractu nascuntur, quædam ex facto, *l. obligamur, de act. & oblig.* hoc est maleficio. Et rursus earum quę ex contractu veniunt, aliæ re, aliæ verbis, aliæ consensu contrahuntur, *§. pen. & vlt. de oblig.* Re quidem, mutuum, commodatū, depositum & pignus: Verbis, stipulatio. Consensu verò emptio, locatio, societas & mandatum. Atque hi sunt contrahēdarum obligationū modi legitimi: qui ergo velit aliquē ad dandū eo nomine cogere, quòd recepturus sit quod præstiterit, in errore est. Vnde Iulianus: *Reg. 131. Nemo ideò obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit.* Vt ecce, si Titius à colono vel debitore Sempronii, centum, quæ Sempronius Titio debebat, sibi dari

velit, ob id, quod idem debitor ſi ſolvat, facil ſit illud in ſolutum reputaturus Sempronic aut ab eo mandati nomine recepturus, ration caret: propterea quòd non habebat Titius de bitorem Sempronii ex aliquo contractu, au facto antecedente obligatum, vt eum (ſi mod alterius nomine ſolvere nolit) cogere poſſit: & ſic hanc regulam intelligo.

AXIOMA XCVII.

De obligation. quæ re contrahuntur.

De hoc genere obligationum nullæ hîc oc currunt regulæ, præterquàm de indebito & pi gnore, de quibus, cæteris ſpeciebus prætermiſ ſis, obiter videamus.

AXIOMA XCVIII.

De indebito.

Ait Paulus, *Reg.54. Cuius per errorem dati repeti tio eſt, eius conſulto dati, donatio eſt.* Donatio qui dem propter præſentem conſenſum, repetitio verò propter errorem, *§. is quoque, quib. mod. con trah. ob.* quia videlicet non eſt æquum vt ſua cui quam probitas ſit detrimento, *l.1. de dol.* Eatenus autem per errorem ſolutum repetitur, quate nus eſt indebitum, niſi fortè non appareat qua pars repeti debeat: nam tunc in favorem inde bitè ſolventis tota repetitur, *l. ſi non ſortem. §. ſi centum, de condict. indeb.* potiùs quàm vt non ap parente parte quæ repeti debeat, nulla repeta tur

tur:exemplo eorum quæ in partes dividi non possunt, quæ potiùs quàm ad nullum heredum perveniant, in favorem successionum, solida e-int ad singulos, *l.2.de ver. oblig. l. ea quæ in partes, hoc tit.* Et hoc est quod ait Paulus, *Reg.85.* *Cùm amplius solutum est quàm debeatur, cuius pars non invenitur quæ repeti possit, totum videtur indebitum, manente pristina obligatione.* Exemplum de fundo ùme in solutum dato per errorem, in causam ius pecuniæ, quæ vel tota non debeatur, vel altem non tanta in quam datus est fundus, *d.§. i centum.*

AXIOMA XCIX.

De pignore.

De pignore trium capitum occurrunt regulæ: nempe, quis sit vsus pignorum: qui potiores in pignore habeantur: tum deniq; quomodo pignoris nexus dissolvatur. Vsus autem pignorum in eo est, vt creditori meliùs sit cautum. Hinc illud Pomponii, *Reg.28. Plus cautionis in rem est, quam in personam*: faciliùs enim accidit, vt lapsi facultatibus homines fiant insolvendo, quàm vt res in nihilum redigatur, *l. itaque. §. n. de furt.* Qui verò potiores in pignore habeãtur, eleganter Canonib. est expressum, *Can.54. Qui prior est tempore, potior est iure.* Qua de re quoque dictum est priùs. At verò inter modos solvendæ rei à nexu pigoris non est is inter postre-

 mos,

mos, de quo Caius, *Reg. 119. Creditor qui permittit rem vaenire, pignus dimittit.* Hoc est, qui omni modo & expressis verbis consentit in alienationem, aut venditionem, *l. si debitor. §. si in venditione, quib. mo. pi.* Aliàs verò si permittat alienari hoc est, tantùm non contradicat alienationi iam certè, quia nemo præsumitur suum iactare, *l. cum de indebito, de probatio.* non statim dicemus causam pignoris esse relaxatam, *l. sicut. §. non videtur, quib. mo. pi.* quinimò transitura res est ad accipientem cum sua causa, *l. traditio, de acq. rer. domi.*

AXIOMA C.

De verborum obligationibus.

Verbis contrahitur obligatio, inquit Imper. ex interrogatione & responsione, ad dandum aliquid, vel faciendum. Inter quas (dandi & faciendi) obligationes illud interest, quòd dandi obligatio sit præcisa, *l. vbi autem, in. fi. de ver. oblig.* faciendi verò, non sit: *l. stip. non dividuntur, d. tit.* Illud verò invicem hæ species habent cõmune, quòd non solùm inter obligationes faciendi quædam dividuæ sint, quædam individuæ, sed & inter eas quæ in dando consistunt, *l. 2. d. titu.* Nunc de singulis seorsim.

AXIOMA CI.

De obligatione præcisa, & non præcisa.

Faciendi obligatio præcisa nõ est, sed statim

post

ost moram succedit in locum facti obligatio
d id quod interest, *d.l.stip. non divi.* Dandi verò
bligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi
l quod in obligatione est, omninò etiam de-
erit; Hoc est, sic dederit vt fiat accipiẽtis. Hinc
lud Vlpiani, *Reg. 128. Non videntur data, quæ eo*
mpore, quo dantur, non fiunt accipientis. Sunt enim
erba cum effectu accipienda, *l. Imperator, de in*
iem adiect.

AXIOMA CII.

De obligationibus dividuis & individuis

Quæcunque per testatorẽ ꝓmissa talia sunt
t dividi in partes possint, transeũt pro portio-
ibus ad heredes, vt suæ quisque partis sit debi-
or, *d.l.2.* Quæ verò talia sunt, vt dividi neque-
nt, ea singulos heredes in solidum obligant.
Vnde Marcellus, *Reg. 153. Ea quæ in partes dividi non*
possunt, solida à singulis heredibus debẽtur. In his enim
quæ alioqui inexplicabilia sunt, id eligendum
est, quod minimum habet iniquitatis, *l. quoties*
nihil, supra eo. Et ideò factũ est, vt potius singuli
heredũ in solidum teneantur (quod nemini no-
cet, cùm qui solidum solvit, contra alios actio-
nem habet, *d.l.2.*) quàm vt omninò nullus eo-
rum teneatur; quod futurũ erat ex natura obli-
gationis, quæ in singulos pro portionibus inci-
dere non poterat, vtpote individua.

AXIOMA CIII.

De obligationibus ex consensu.

Consensu fiunt obligationes in emptionibus & venditionibus, locationibus & conductionibus, societatibus & mandatis, quæ substantiam ex solo per se consensu capiunt, nec opus est vel rei vel verborum intercessione vt nascatur obligatio, ideoq; etiam consensu fieri dicuntur, *l. 2. de act. & oblig.*

AXIOMA CIIII.

De emptione & venditione.

Emptio contracta est, simul atque de pretio convenerit. Est autem pretium, pecunia numerata, æstimationi ipsius rei venditæ proportione respondens, *d. l. de cõtrah. emp.* à vetere verbo ꝑcire, quod est petere: nomen habens, quasi videl. illud ꝑ re venditor soleat petere ab emptore. Vnde si nõ tã de æstimatione rei p̃standa agatur, quàm vt emptionis contractę solennia ob aliquam vtilitatem repræsententur, tum nõ vera emptio, quia nec verum pretium, sed tantùm imaginaria dicetur esse contracta: qua in emancipationibus, §. *præterea, quib. mo. ius pa. pot. sol.* olim & testamentis condendis, *tit. de test. ord. in prin. in Inst.* vbi familiæ emptor intercedebat, vtebantur. Vbi ergo pretium intercedit, vera emptio est, nõ imaginaria: Hinc Paulus, *Reg. 16.* *Imaginaria venditio non est, pretio accedente.* An autem

tem imaginaria differat à simulata, acris est inter Doctores cõtentio. In eo conquiesco, quòd differat. De locatione nullæ sunt regulæ: proxima est Societas.

AXIOMA CV.

De societate.

Sed & societas mutuo sociorum consensu contrahitur: vnde pluribus in eadem societate invicem coniunctis, si quis citra meam voluntatem aut consensum admittat alium, is ei socius erit qui eum admisit, mihi non erit, *l. qui admittitur, l. nam socij, pro socio.* Vnde Vlpianus, *Reg. 48. §. final. Socij mei socius, socius meus non est,* nimirum, quia in societatem eius non consensi.

AXIOMA CVI.

De mandato.

Hîc primùm de formulis mandati: tum de duplici mandato tractabimus, expresso videlicet & tacito. Tertia cura erit de vi & effectu mandati. Postrema de rebus quæ mandari possint aut non possint.

AXIOMA CVII.

De formulis mandati.

Mandatum, inquit Imp. *in prin. tit. de manda.* contrahitur 5. modis. Nam vel sua tantùm

gratia aliquis tibi mandat, vel ſua & tua: vel aliena tantùm, vel ſua & aliena, vel deniq; tua & aliena. At ſi tua tantùm gratia tibi mandatum ſit, magis conſilium eſt, quàm mandatum, & ob id non eſt obligatorium, & hoc eſt quod ait Canon: *Can. 62. Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur.* Etiamſi non expediat ei, cui mandabatur, cùm liberum ſit cuiq; apud ſe explorare an ſibi expediat conſilium, *l. 1. manda. & & d. tit. de mandato, in prin.* Tantundem eſt in illo Vlpiani reſponſo, *Reg. 48. Conſilij non fraudulenti, nulla eſt obligatio: Cæterùm, ſi dolus & calliditas interceſſerit, de dolo actio competit.* Dolus enim nunquàm debet eſſe impunitus, *l. contractus, hoc tit.*

AXIOMA CVIII.

De duplici mandato, tacito & expreſſo.

Eſt mandatum quod fit expreſſis verbis, volo, rogo, mando, aut ſimilibus, *d. l. 1.* (dum tamen non ſint commendatoria, *l. ſi verò non remunerandi, §. cum quædam, d. tit. manda.*) Eſt tacitum, *l. ſi remunerandi, §. ſi paſſus, d. tit.* quod fit, vel per patientiam, vel per ratihabitionem.

AXIOMA CIX.

De mandato quod per patientiam inducitur.

Ait Vlpianus, *Reg. 61. Semper qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare videbitur.* Quemadmodum & aliàs

& aliàs tacentem pro consentiente dicimus, *c. qui tacet, hoc tit. in 6.*

AXIOMA CX.
De ratihabitione.

Ait Paulus, *D. Reg. 61. vers. 1. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.* Et in Canonibus, *Can. 10. Ratihabitionem retrotrahi & mandato non dubium est comparari.* In effectu videlicet, nam aliàs differunt, cùm mandatum semper antecedat negotium. Ratihabitio verò sequatur: Et iterum aliena negotia possint mandari, non item per ratihabitionem comprobari. Vnde in Canonibus, *Can. 9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est.* Incivile est enim miscere se rei ad se non pertinenti. *l. culpa. hoc titu.* Quod autem aliena negotia mandari possint, *l. 1. mand.* id ideò est, quòd in his quæ naturalia sunt, & Iuris gentiũ (quale est mandatum) intersit hominis hominem affici beneficio, *l. servus de ser. expor.* Quod in ratihabitione non perinde obtinet, quæ merè civilis est, & veluti ex fictionibus conflata, propter illam de qua priùs dictum est, retrotractionem, *cap. ratihabitionem, suprà eo.*

AXIOMA CXI.
De vi & effectu mandati.

Maximus & potentissimus mandati effectus in eo est, vt negotium ab alio factum, perinde re-

de repræſentet, atq; ſi ille ipſus feciſſet, qui mandavit. Huc pertinet ille Canon, *Can.82. Qui per alium facit, perinde eſt, ac ſi faciat per ſeipſum.* Eſt exemplum idoneum in Pandectis de ſolutione per alium facta, *Reg.141. Quod iuſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt quaſi ipſe ſolviſſet, vel ipſi ſolutum eſſet, l. qui mandat. l. cum iuſſ. de ſolutio.*

AXIOMA CXII.

Quæ res aut negotia mandari poſſint.

Quæ per ſe quiſq; facere poteſt, eadem & mandare poteſt, vt ſuo nomine faciat alius. Hinc Canon, *Can.68. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* Quod ex vtilitate receptũ eſt, *l.1.§.vſus de procurat*, vt qui per impedimenta rebus ſuis intendere non poſſunt, aliorum opera & officio ſubleventur, *§. per quas perſo. agere poſſ.* Hinc à contrario ſenſu ſtatim illa ſequitur regula, *Can.67. Quod alicui ſuo nomine nõ licet, nec alieno liceat:* & *Reg.50.* quòd, *Alterius circumventio alij non præbet actionem.* Nam quod vna via prohibetur, ad id non debet quis alia via admitti. *c. cùm quid vna via, de Reg. in 6.* Vnde ſi Titius de furto, damno aut injuria facienda tibi mandet, licèt impleveris mandatum, & pœnam illius facti nomine præſtiteris, non tamen vllam adverſus Titium habebis mandati actionem, qua quod præſtitiſti recuperes. Nam (vt inquit Caius, *Reg. 47.*) *Quod à quoquam pœna nomine exactũ eſt, id eidem*

eidem restituere nemo cogitur. Tũ quòd de se queri debeat, non alii imputare, qui rem illicitam & ad quam non erat vlla juris vinculo obligatus, tentaverit: tum quòd qui suam ipse turpitudinem allegat in judicio, indignus sit vt audiatur, *l. mercalem, C. de cond. ob tur. caus.* Adde neminem videri damnum sentire, qui id sua culpa sentit, *l. quod quis ex sua, hoc tit.*

AXIOMA CXIII.

Quarta divisio obligationis, nimirum ab accidente.

Quemadmodum in hominibus illa sunt accidentia, conceptum tantùm & in vtero esse: aut editum esse: aut esse perfectum & justæ ætatis, *tit. de sta. ho. in Pand. in prin.* Ita & in obligationibus, quarum aliæ conditionales sunt, aliæ in diem, aliæ deniq; puræ & perfectæ, *§. omnis stipulatio. de verb. obli.* Nam quæ conditionales sunt, homini concepto & nondum nato comparantur, promiscuè scilicet & indifferentes in vtrumq; casum, *§. sub conditione, d. tit.* Nam si exstiterit conditio, iam nata dicetur: si defecerit, tum velut partus abortiens, extinguetur, & ne fuisse quidem vnquam existimabitur, *arg. l. 1. §. si quis, vnde cogna.* In diem verò obligationes, homini iam edito & nato sunt similes, quæ perfectionem demum consequuntur, cùm dies venerit, *l. cedere diem, de verb. signifi.* Pura obligatio

illi si-

illi ſimilis eſt, qui iam nunc ad ætatem iuſtam & perfectam pervenit.

AXIOMA CXIIII.

De pura obligatione.

Purè, inquit Imper. *d. §. omnis*, obligatio contrahitur, hoc modo: Quinq; aureos dare ſpondes, idq; confeſtim peti poteſt, vt teſtatur illa Pomponii regula: *Reg. 14. In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præſenti die debetur.* Quamvis humanitatis interpretatione cum temperamēto quodam id accipiendū ſit, *l. quod dicimus, de Solutio.* quod magis intellectu percipi, quàm verbis exprimi poteſt, neq; enim ſtatim quod licet, etiam eſt honeſtum, *l. non omne hoc tit.*

AXIOMA CXV.

De obligatione in diem.

Ait Imp. *d. §. omnis.* Quod in diem debetur, ſtatim quidem debetur, ſed peti priùſquàm dies venerit, non poteſt: at ne eo quidem ipſo die, in quem ſtipulatio concepta eſt, peti poteſt, quia totus is dies arbitrio ſoluentis tribui debet. Cum quo convenit illud Celſi Iureconſulti: *Reg. 147. Nihil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam ſolvi poſſit: vt cùm ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo tempore præterito, peti non poterit.* Rationem dat Imp. quia non eſt certum eo die, in quem promiſſum eſt, ſolu-

tum

tum non esse, priusquàm is præterierit: atq; ita tempus adiectum stipulationi, potest quidem suspendere actionem, *d. l. cedere diem.* quæ in facto & exercitio consistit: obligationem verò minimè, quæ in jure consistit: Neq; enim tempus est modus tollendæ aut inducendæ obligationis, *l. obligationum ferè, §. placet de actio. & obl.* Illud autem quod dicit Impe. ne eo ipso quidem die, in quem concepta est stipulatio, peti posse, indicat tempus ad favorem debitoris pertinere. Vt & illa Pauli regula testatur: *Reg. 17. Cùm tempus in testamento adijcitur, credendum est pro herede adiectum, nisi alia mens fuerit testatoris: Sicut in stipulationibus promissoris gratiâ tempus adijcitur.* Tùm quia favorabiliores sunt rei, quàm actores, *l. favorabiliores hoc tit.* tùm quia contra eum fit interpretatio, qui legem potuit apertius dicere, quemadmodum in superioribus est declaratum, *lib. 1. axi. 25.*

AXIOMA CXVI.

De obligatione conditionali.

Conditionalem obligationem priùs dictum est, simile ei esse, qui adhuc in vtero est, vt quia fieri potest vt existat cōditio, sicq; nascatur obligatio, fieri etiam potest in alteram partem, vt conditio deficiat, & sic nec obligatio existat, *d. §. sub conditione*, Partiemur autem huius argumenti tractationem in tria præcipuè capita,

capita, nimirum: Quis ſit effectus obligation[i] conditionalis: tum quod tempus ſpectetur i[n] conditionibus: tertiò de implemento condi-tionis, & quomodo committatur ſtipulati[o]. Nunc ad ſingula.

AXIOMA CXVII.

De effectu conditionalis obligationis.

Vis & effectus conditionis eſt, vt ſuſpend[at] & differat obligationem in aliquem caſu[m] & tantùm relinquat ſpem debitum iri, §. *ex con-ditionali. de verb. obl.* Hinc illud Iuliani, *Reg. 130. final. Quod pendet, non pro eo eſt, quaſi ſit.* Pende[re] autem dicitur, quod neq; in totum reijcitu[r], propter ſpem videlicet, quæ ſubeſt, *l. qui in vte[ro] de ſta. hom.* neq; etiam pro conſtituto habetu[r], quia videlicet ſit verum adhuc non eſſe. Ha-bet autem conditio à condendo nomen, qui[a] ſcilicet rem vel in hanc, vel in illam parte[m] condere poſſit: ita vt revera nondum ſit deb[i]-tor, qui ſub conditione promiſit, quamvis i[n]-terim verum ſit eum eſſe obnoxium, *l. credi[to]-res, de verb. ſigni.* quemadmodum nec revera h[o]-mo eſt, qui adhuc in vtero eſt, *d. l. 1. vnde cog.* ſed tantùm ſpes eſt exiturum, ſi non abortiat mater.

AXIOM[A]

AXIOMA CXVIII.

Quod tempus spectetur in conditionibus.

Ait Paulus, *Reg. 187. §. final. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contractum est.* Exemplum regulæ est in illo Papiniani responso, *Reg. 19. Si filiusfa. sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.* Est enim stipulatio Iuris, in quibus semper spectamus initia, *l. si filiusfa. de verb. obl.* adeò vt si quis (exempli gratia) cùm servus esset, stipulatus sit sub conditione aliquid sibi dari, & eo liberto facto existat conditio, nihilo magis tamen ei stipulatio in servitute facta est profutura. Quò pertinet illud Pauli Iureconsulti respõsum, *Reg. 189. Quod quis cùm servus esset, egit, proficere liberto facto non potest.* Item & illud quod ait Paulus, *Reg. 181. §. final. Nunquam ex postfacto crescit præteriti delicti æstimatio.* Præteritũ delictum vocat Paulus delictum iam semel natum, & forma sua consummatum: quod autem ex postfacto crescere non possit, rationem in eo esse crediderim, quòd in his quæ Iuris sunt, semper spectemus initia, *d. l. si filiusfa.* vnde etsi ad plures simul ab origine deferri tutela possit, *§. fi. de legit. ag. tute.* ex postfacto tamen crescere numerus & augeri non potest, *§. interdum, de Curator.* manente interim eadem tutela, quæ fuit antè.

Nam si insuper alium addas prioribus, iam non eadem tutela q̃ priùs, sed in speciẽ videbitur alia. Secus est in legatis, in quibus id tempus spectatur demum quo ea cadunt, nam ex eo tempore juris conditione tinguntur, antea facti magis sunt, quàm juris, *arg. l. interdictum, de preca.* Vnde Pomponius, *Reg. 18. Quæ legata mortuis nobis ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos ijs, quorum in potestate sumus, eodem casu acquirimus: aliter atq; quod stipulati sumus.* Nam *& sub conditione stipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiamsi libertatis nobis domini potestate, conditio existat.* Differentiæ rationem paulò antè diximus.

AXIOMA CXIX.

De implemento conditionis, & quomodo committatur stipulatio.

Impleri conditiones possunt vel reipsa, vel repræsentatione, vt priùs attigimus. Vnde illud Vlpiani, *Reg. 135. Qui potest facere vt possit conditioni parêre, iam posse videtur.* Planè committi stipulatio dicitur, quæ in ambiguo & suspenso hærens, ad aliquem exitum, seu hunc, seu illum deducitur, & sic intelligendum est illud Vlpiani, *Reg. 122. In iure civili receptum est, quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fit quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset: quod & ad libertates & legata, & ad heredum institutiones perducitur. Quibus exemplis stipulationi*

tiones quoq; committuntur; cùm per promissorem factum esset, quò minùs stipulator conditioni parêret.

AXIOMA CXX.

De vitiis contractarum obligationum.

Obligationes vitiantur, vel à re ipsa in stipulationem deducta: vel à personis contrahentium: vel deniq; ab invtili conceptione, vt latè ex illo titulo cognosci potest, quem Imp. in Institutionibus de invtilibus stipulationibus edidit.

AXIOMA CXXI.

De obligationibus vitiosis ob rem ipsam.

Fieri potest, vt ea quæ in contractum deducuntur, vel nullius sint, hoc est in commercio non habeantur: vel in rerum natura non sint: vel factu sint impossibilia: vel deniq; turpia, *d. tit. de invtil. stip. in Inst.* de quibus omnibus dictum est priùs ad tractatum regularum generalium, sub capite de Natura, *lib. 1. axio. 11. & 12.* quæ hîc brevitatis gratia pro repetitis habem⁹.

AXIOMA CXXII.

De vitiosis obligationibus ob personam contrahentium.

Si enim pupillus, furiosus, mutus, surdus stipulentur, aut contrahant, ex his quæ antecesserunt, *lib. 1. sub. fi.* promptũ est discere, cur negotium, quod agitur, & quando non teneat, hîc non repetemus.

AXIOMA CXXIII.

De obligationibus vitiosis ob invtilem conceptionem.

Regulare est, stipulationes, pacta & contractus inventos esse, vt sibi quisq; acquirat, non verò vt alteri, §. *alteri, de inut. stip. ar. l. actionum, §. 1. in verb. sui lucri gratia, de actio. & oblig.* Vnde Vlpianus, *Reg. 74. §. final. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.* Nam, vt inquit Paulus, *l. quæcunq; gerimus, d. tit.* quæcunq; gerimus, cùm ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona initium obligationis sumant, inanem nostrum actum efficiunt: ex facto enim ius oritur, *l. si ex plagis, §. in clivo, ad leg. Aquil.* facta autem sunt personalia. Non potest ergo aliunde initium capere obligatio, quàm ex persona eius qui contractum (qui facti est) perfecit.

AXIOMA CXXIIII.

Contracta obligatio quomodo finiatur?

Hîc iam de modis finiendarum obligationum est differendum: quod accidit vel specialiter, per Solutionem nimirum, Acceptilationem & Novationem: vel in genere, Contrario jure videlicet.

AXIOMA CXXV.

De solutione.

Solutione eius quod debetur, inquit Imp. *in prin.*

prin.tit.quib.mod.tol.oblig.in Instit. omnis tollitur obligatio, idq; funditus & ipso jure, propterea quòd solutio, etsi per se sit facti, *l. consilio, in fi. de curat. furios.* adoptat tamen juris conditionem ex causa civili & legitima, in quam reciprocat. (vt aliàs ostendemus *ad tracta. de iure & facto.*) Planè nonnunquam accidit, vt non tam ipso jure contingat liberatio, quàm ex æquitate, videlicet, si quis sub conditione debitor, antè solvat quàm extiterit conditio: qui non potest videri se ab obligatione liberare, vt qui nondum sit obligatus, privatio enim præsupponit habitum, *l. decem. de ver. obl.* & ideò jure stricto, post conditionem videbatur quòd iterum exigi idem posset, nisi reclamaret æquitas & bona fides. Et hoc est, quod volunt ille regulæ, tum in Canonibus, *Can. 38. Bona fides non patitur, vt semel exactum iterum exigatur*, tum in π. *Reg. 58. Bona fides non patitur, vt bis idem exigatur.* Simile est quod in individuis ad singulos heredũ obligatio transit in solidum, *l. ea quæ in partes, hoc titu.* vno tamen eorum solvente, liberantur omnes, non tam ipso jure, quàm per exceptionem, *l. 2. de ver. oblig.*

AXIOMA CXXVI.

De acceptilatione.

Acceptilatio, inquit Imp. §. *item, quib. mo. tol. oblig.* est imaginaria solutio, in qua brevi quodammodò manu sub imagnibus solennium

tecta est & solutio & donatio : solutio quidem, cùm debitor creditori soluisse fingitur quod debebat: donatio verò, cùm rursus creditor eandem rem, quam acceperat, debitori remittit,& veluti nullo jure cogente donat. Quo alludit illud Pauli, *Reg. 116. Si quis obligatione liberatus sit, potest videri accepisse.*

AXIOMA CXXVII.
De novatione.

Novatio apud Vlpianum, *l. 1. de novatio.* est prioris debiti in aliam obligationem translatio, vel civilem, vel saltem naturalem, hoc est, Iuris gentium, quam solam, non verò merè naturalem, *l. nec servus, de pecu. & l. quod attinet, hoc ti.* in jure agnoscimus. Quæ ergo in naturalem tãtùm commigravit obligatio, non tam novata est, quàm sublata & extincta, Sed hîc nullæ sunt regulæ,

AXIOMA CXXVIII.
Quomodo generaliter & contrario jure tollatur obligatio.

Ait Paulus, *Reg. 196. Ferè quibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur.* Consumitur enim contrarium à contrario, *§. fi. quibus mo. tol. obli. l. ab emptione, de pact.* & ex vtriusq; invicem concursu medium exoritur : In civilibus quidem tranquillitas: in naturalibus sanitas : in moralibus virtus. Ideò ferè dixit Paulus, quòd

quòd quædam obligationes, licèt duorum cõsensu coierint, vnius tamen voluntate, invito etiam altero dissiliunt, vt Societas, §. *manet, de societa.* & Mandatum, §. *rectè, de mand.* quamdiu enim non interest alterius, facilè fit, vt locus pœnitentiæ sit. Quod secus est in aliis contractibus, vbi plerumq; statim post contractum negotium desinit res integra esse, & alterius vel vtriusq; interesse: ideoq; nec dissolui posse contractum, *l. sicut, C. de act. & obl.* maximè cùm sui lucri causa quisq; contrahat, *d. l. actionum, de act. & oblig.* Porrò vt apta sit dissolutio, debet inter extrema esse proportio & analogia, & corrumpens ab eodem, velut ab hasta Telephi venire, vnde corruptum. Hinc Vlpianus, *Reg. 36.* *Nihil tam naturale est, quàm vnumquodq; eo genere dissolvi, quo colligatum est: Ideòq; verborum obligatio, verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur.* Cui consentit illud Caii Iureconsulti responsum, *Reg. 101. Omnia quæ iure contrahuntur, cõtrario iure pereunt.* Intellige æquè potenti, vt scilicet non solùm in genere sit proportio, sed & in specie: vnde nec justum pactũ, licèt juris sit, *l. Stichum, §. naturalis, de solutio.* stipulationem tollit, *l. si vnus, §. pactus, de pact.* nec codicilli, qui & ipsi quiddam juris habent, vim testamẽti evacuant, sed stipulatio stipulationẽ, & testamentum solenne, aliud non minus solenne perimit, *§. 1. & §. ex eo, quibus. mo. testament. inst. d. axio. vlt.* Sed de his rebus alius est lo-

cus, in primo libro inter capita regularum generalium, *axio. vlt.* quibus vnicum illud Pomponii responsum adde, *Reg. 8. Iura sanguinis nullo iure civili dirimi possunt*: nimirum, quia non habeant ea quæ juris sunt, imperiū in ea quæ sunt facti, *d. §. pactus*. Nam quis nescit jura sanguinis in facto versari, cui nulla est cum jure analogia vel proportio.

AXIOMA CXXIX.

De his quæ in contractum incidunt.

Cùm de contractu quæritur, quid in eum veniat, quidq; præstari à contrahentibus debeat, inprimis videndum est quid sit actum, quemadmodum in stipulationibus, *l. semper in stipulationibus, hoc tit.* Nam illud vulgatissimum est quod ait Canon, *Can. 85. Contractus ex conventione legem accipere dinoscuntur.* Si nihil sit actum, hoc est nihil inter contrahentes de ea re convenit, tum ad cuiusq; contractus naturam & indolem confugiendum est. Nam etsi tria præcipuè sint quæ in hanc quæstionem veniant, dolus, culpa, casus, non tamen omnia hæc in omnes contractus, sed in aliis aliter atq; aliter præstantur, vt eleganter Caius ostendit, *Reg. 24. Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam. Dolum tantùm, depositum & precarium: Dolū & culpam, mandatum, commodatū, venditum, pignori acceptum, locatum. Itē dotis datio, tutela, negotia gesta: in his quidam & diligentiam.*

Societas,

Societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. Sed hoc ita, nisi quid nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus, nam hoc servabitur, quod ab initio convenit (legem enim contractui dedit,) excepto eo quòd Celsus putat, non valere si convenit ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est, & ita vtimur. Animalium verò casus mortesq; quæ sine culpa accidunt, fugæ servorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præstantur. Duo sunt extrema dolus & casus: quorum hic à nullo præstatur, quia vitari humanitùs non potest: ille, ab omnibus, quia turpis est, *l. 1. de dolo.* Culpa verò cùm eiusmodi sit, vt nec semper sit turpis, nec vllo casu vitari non possit, fit vt interdum præstetur, *arg. §. præterea, quib. mo. re.* interdum verò nō, *l si vt certo, §. videndum, commodati.* Nunc quædam de his seorsim videamus, dolo, culpa & casu.

AXIOMA CXXX.

De dolo.

De dolo illa capita occurrent, quomodo cōmittatur: tum quæ sint eius species. Ad prius quod attinet, animadvertendum est, vt dolus commissus dicatur, requiri & consilium & evētum. Hinc illa regula, *Reg. 80. Fraudis interpretatio semper in iure, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur.* Est enim consilium & voluntas nocendi, perinde forma delictorum, *l. qui*

iniuriæ, de furt. vt consensus cõtractuum, *l. 1. §. pe de pact.* Eventus verò est perfectio, non secus quàm scriptura consummatio emptionis est in scriptis celebratæ, *l. contract. C. de fide instru.* & vini venditi degustatio. Consilio opponitur ignorantia: Eventui ius. Hoc est, si quis aliquid faci quod eventu dolosum appareat, ignorantia tamẽ impediet, quò minus id in dolũ imputetur. Vnde Vlpianus, *Reg. 138. §. final. Nemo videtur in dolo esse, qui ignorat causam cur non debeat petere.* Nihil hic distinguo, facti ne an iuris sit ignorantia, *l. qui in alterius, hoc tit.* nam illud vsitatũ est, quòd etsi aliàs iuris error nemini sit veniabilis, à dolo tamen præstet excusationẽ, *l. sed et si, §. scire, de pe. tit. her. l. si quis id quod, de iurisd.* Contrà, si quis maximè fraudandi animo ad aliquid accedat, evẽtus tamen non respondeat consilio, & inveniatur quod factum est, fieri potuisse, cessat dolus. Hinc illa Regula, *Reg. 36. Nullus videtur dolo facere qui iure suo vtitur.* Sæpè enim quod sui iuris tuẽdi gratia quisq; facit, id alteri nocet, *l. si finita, §. notandũ, de dam. infe. l. in summa, §. itẽ. de aq. plu.* tum in his quæ diximus, tum etiã in iis quæ stricto quidẽ iure peti possunt, quamvis exceptione elidi queant, *l. purè, de doli excep.* Vnde illud Vlpiani, *Reg. 20. Nõ solet doli exceptio nocere iis, quibus voluntas testatoris non refragatur.* Alioqui verò generaliter qui petit, ꝙ ꝑ exceptionẽ elidi potest, certũ est eũ doli mali exceptioni statim fieri obnoxiũ, *l. 2 §. & generali, d. tit.* Non dissimile est illud Pauli, *Reg.*

l. *Reg.172. Nihil dolo creditor facit q. suũ recipit*: quẽadmodum nec q. iussu iudicis aliquid facit. Vt in Canonibus, *Can.24. Quod quis mãdato iudicis facit, dolo facere non videtur, cùm habeat parêre necesse.* Sæpè enim necessitas, etiã detracta iudicis autoritate, eximit doli suspicionẽ, *l qui cùm maior, §. si pater, de bo. liberto.* Cui simile est illud in *ff. Reg. 128. §. fina. Qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo facere, quia parêre necesse habet*: si videlicet iusta sint, quæ iudex iubet & licita, *l. prohibitũ. C. de iur. fisci.* alioqui ea quæ fiunt à iudice, si ad eius officium non spectant, viribus non subsistunt, *c. ea quæ hoc tit. in 6.*

AXIOMA CXXXI.

De speciebus doli.

Doli species sunt duæ, nam vel in faciendo cõsistit dolus, vel in nõ faciendo seu omittẽdo. De vtraq; specie seorsim ac separatim dicamus.

AXIOMA CXXXII.

De dolo, qui facto committitur.

Facto, multis modis committitur dolus, & inter alios, calumniosa actione, vnde Iulianus; *Reg. 134. §. final. Dolo facit, qui petit quod est restituturus.* Et in Canonibus, *Can. 59. Dolo facit qui petit quod restituere oportet eundem.* Vt si ab eo cui testator liberationem legavit, heres petat, videtur legatum celare voluisse, *l. si testamento, de fideiusso. l. 2. de lib. lega.* Vtique qui scit non iure secum agi, nec de dolo adversarii excipit, hic de se

de ſe queri debet, efficitque vt conſilio adve ſarii doloſo abſit eventus. Nam vt ait Cano *Can.27.Scienti & conſentienti non fit iniuria neq; d lus*:& iterum, *Nemo videtur fraudare eos, qui ſciu & conſentiunt:* Vnde nec furtum fit, niſi invit domino, *l.1.de furt.* nec iniuria, niſi moleſtè fe renti, §.*vlt.de iniuria.* alioqui non eſt cuius inte ſit, §.*ſed et ſi cred. de obl. ex malefi.* & ſic vt dixi, r caret eventu.

AXIOMA CXXXIII.

De dolo qui omittendo, ſeu per contumaciam fit.

Ait Iavolenus, *Reg.160. Non poteſt dolo carere qui imperio magiſtratus non obtemperat.* Et hinc ſun illa edicta Prætoria: Si quis ius dicenti non ob temperaverit: Si quis in ius vocatus non ierit, & talia multa.

AXIOMA CXXXIV.

De culpa.

Eadem culpæ diſtinctio eſt, quæ doli: nam a lia facti eſt, alia negligentiæ ſeu contumaciæ Quas ſpecies, licèt obſcuriùs, & velut ſub ænigmate, complexus eſt hoc reſponſo Paulus, *Reg 164. Qui non facit quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit. At qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iuſſus eſt.* Paria ſunt enim vel omninò non facere, vel facere

qui-

uidem, sed sic vt non oportet, *l. 1. §. pen. quo. le-at*, & econtra.

AXIOMA CXXXV.

De culpa quæ facti est.

Ait Pomponius, *Reg. 37. Culpa est immiscere se ri ad se non pertinenti.* Et in Canon. *Can. 19. Non est ne culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Quod merè ciuile est, ne scilicet discordiarum emina illinc in Repub. excitentur, *l. cùm pater ulcissimus, de leg. 2.* Alioqui verò in naturalibus, eu his quæ iuris gentium sunt, interest homi-is, hominem affici beneficio, *l. servus. de ser. ex-rtan.* Et inde est, quòd mandari quidem aliena egotia possint, *l. 1. mand.* alteri verò stipulatio eri non possit, *l. stipulatio ista, de verb. oblig.*

AXIOMA CXXXVI.

De culpa contumaciæ ac ignaviæ, seu de Mora.

Hoc culpæ genus quod per ignaviam & ne-ligentiam committitur, vt plurimum Mora ocatur in iure, cuius tractationem hîc in ali-uot capita deducemus: Quomodo mora con-rahatur: tum quid excuset à mora: postremò uoque de moræ vi & effectu. Nunc ad singula.

AXIOMA CXXXVII.

Quomodo mora contrahatur?

Mora (inquit Vlpianus, *l. mora, de vsur.*) fieri intel-

ligitur non ex re,sed ex persona,hoc est, perso
nali petitione,seu interpellatione. Vnde Scæ
vola,*Reg.89. Nulla intelligitur ibi mora fieri,vbi nul*
petitio est : hoc est, nulla interpellatio, quæ i
contractibus quidem bonæ fidei etiam extra iu
dicium facta,morosum reddit debitorem, *d.*
*mora,§.in bonæ fid.*in strictis verò iudiciis non ni
in iudicio facta sit, *l.vinum, si cer. peta.* adeò v
quod in illis bonæ fidei exuberantia potest,id i
his litis contestatio,*l.videamus,d.tit.de vsur.*

AXIOMA CXXXVIII.

Quid excuset à mora.

Excusat à mora, iusta causa solutionis diffe
rendæ,quæ multæ possunt incidere, qualis e
probabilis ignorantia. Vnde Venuleius,*Reg.10*
Non potest improbus videri,qui ignorat quantum debea
solvere. Id enim inprimis requirit Iureconsul
tus ad moram committendam, vt debitor e
iusta causa intelligat se dare oportere, *l.quod te*
si cer.peta.& quātum sit illud. Qui ergo creden
se non debere,litigare maluit quàm solvere,n
est in mora,*l.nemo rem suam,de ver.oblig.* Quod Iu
lianus voluit, cùm ait, *Reg. 64. Qui sine dolo ma*
provocat, non videtur moram facere. In eadem con
dione est, qui extra has causas iustam habet ex
ceptionem,qua se tueatur,vnde in Canonibus
Can.60.Non est in mora, qui potest exceptione legitim
se tueri. Exceptio enim licèt tollat obligation
*§.1.de exceptione in Instit.*facit tamen vt nihil viti
contr

contra debitorem habeat, nullusque momenti sit petitio, *l. nihil interest hoc tit.* iam verò qui conveniri non potest, multò magis à mora debet esse liber, quæ per petitionem & interpellationem contrahitur, *nulla. supra axio. 137.*

AXIOMA CXXXIX.

De vi & effectu moræ.

Vis & effectus moræ in eo est, vt principalē obligationem augeat, tum ad vsuras, tum ad id, quod interest. Ad vsuras quidem, in contractibus bonæfidei, in quibus post interpellationē etiā extraiudicialē veniūt vsuræ, *d. §. in bonæfidei.* In strictis verò iudiciis minimè, nisi post litis contestationem, *d. l. vinū*, ad interesse verò semper, quoties damnū ex mora debitoris interpellati creditor accepit, *l. vtriq; de recept. arbi.* Eoque casu, si plures sint qui conveniri possunt (vt in reo principali & fideiussore) nunquam tamen ex mora per vnū eorum cōmissa poterit alter in duriorē causam cōveniri, sed semper mora sua cuiq; est nociva, *Can. 25.* Est. n. mora facti, *d. l. mora*, & personalis, ita vt meritò in autorē suum perpetuò redundet, quemadmodum delicta: cùm alioqui & mora sit quoddam veluti delictum, *l. Stichū, §. tametsi, de solutio.* & ludificatio adversarii, quæ nec lucro debet esse cuiquā, nec in alterius quoq; iniuriā cedere. Adeò autem mora suum autorem sequitur, vt ne quidē inter duos reos alteri⁹ mora noceat alteri. Vnde Vlpianus,

Reg.

Reg.134.§.penul. Vnicuique ſua mora nocet, quod & i duobus reis promittendi obſervatur. De quo tamē non leviter dubitari poterat, propter illam obligationis identitatem, qua tenentur, *§.ex huiuſmodi.de duob.reis.* Sed hæc eſt eorum, quæ facti & perſonalia ſunt natura, qualis eſt mora, vt perſonam non egrediantur.

AXIOMA CXL.

De acceßionibus obligationum.

Acceſſiones obligationū maximè ſunt tres interesse, fructus & vſuræ, *tit. de vſur. fruct. & acceſſ. in Pand.* augēt enim obligationem propter ea, quòd eam ex intervallo maiorem faciant, ita vt cum principali obligatione poſſit eò ampliùs id quod intereſt peti (ſi modò interſit) aut fructus, ſi qui extiterint, aut denique vſuræ, ſi ſint commiſſæ. De fructibus & vſuris nullæ occurrunt regulæ, poterit tamen qui locos communes facturus eſt, hîc eis ſuum locum tribuere.

AXIOMA CXLI.

De eo quod interſit.

Sed & id quod intereſt, contractam ſeme obligationem auget, adeò vt à pleriſq. *ad l. ſtip non dividuntur, de verb. oblig.* dubitatum ſit debeat ne intereſſe dici in obligatione eſſe, an vertantùm officio iudicis venire in condemnatio nem: quod latiorem requirebat inſpectionem

No

Nos hîc paucis naturam eius quod intereſt de-libantes ad Paulum accedamus, qui ait, *Reg. 25.* *Quatenus cuiusq; interſit, in facto, non in iure conſiſtit.* Et in eo diverſa eſt vſurarum conditio ab eo quod intereſt. Nam quatenus vſuræ præſtandæ ſunt, id in iure conſiſtit, nam nec ex quovis cõtractu præſtantur, nec ſemper æquè graves, *l. e. s, C. de vſuris*, ſed ex alio atque alio contractu maiores, quemadmodum videlicet id à iure cõſtitutum eſt. At verò eius quod intereſt, nulla certa regula in iure conſtituta eſt, ſed quatenus quisq; ob moram adverſarii, ſuâ intereſſe probarit, eatenus habet eum ſibi vel duriore, vel leviore conditione obligatum. Et hactenus quidem quantum ad œconomiam Regularum attinet, ſatis de obligatione dictum eſt, nunc de maleficiis & actionibus, de quibus quarto libro Inſtitutionum tractavit Imperator.

AXIOMA CLXII.

De maleficiis & actionibus.

Quarta Inſtitutionum Imperalium pars, ad quarum exemplum, quãtum poſſibile fuit, tractationem regularum ſpecialium comparavimus, continet maleficia & actiones. Cur autem Imper. iungere maleficia maluerit actionibus quàm obligationibus, *lib. 4. Inſti.* puto inde eſſe, quòd cùm actiones ex maleficiis ex facto naſcantur, *l. obligamur, verſ. ex facto, de act. & obl.* non verò ex contractu aut obligatione, magis in eis

exercitium ipsum actionis intueamur, quàm causam aut originem, eoque nomine actionibus similiores esse quàm obligationibus, quæ ex solo contractu, si propriè loquamur, veniunt. De maleficiis ergo priore loco dicamus: Quæ sint eorum positiones: Quot modis delicta commitantur: Quæ præstent à delictis excusationem: Quomodo obligatio ex delicto contracta dissolvatur.

AXIOMA CXLIII.

De maleficiorum positionibus.

Quemadmodum totius iuris in genere duæ sunt positiones, §. *fi. de iustit. & iur.* ita & maleficiorum: nam alia privata sunt, vt furtum, rapina, damnum, iniuria: alia sunt publica, vis, peculatus, & multa talia, de quibus toto titulo de publicis iudiciis apud Iustinianum, *tit. vlt. li.*4. Privata quidem ex eo quòd privatim, nisi ei, cui interest, actionem pariant, nomen habent. Publica verò, quòd cuivis de populo libera sit eorum nomine persecutio, §. *1. de pub. iudi.* Longum esset hîc omnes delictorum species persequi: quare obiter de illis dicamus, quæ circa regulas occurrunt.

AXIOMA CXLIIII.

De damno iniuria.

Damnum iniuria fit, vel per dolum, vel per culpã, §. *iniuria, de leg. Aqui.* & ideò media voce v-

sus est

ſus eſt Imp. in iniuriæ deſcriptione, quod ſcilicet non iure fit: poteſt enim is, qui culpa peccat, dici nō iure feciſſe: quemadmodū ſuſpectū vocat Imp. §. *ſuſpectus autem, de ſuſpect. tut.* nō eum tantùm qui malè, ſed etiam qui non ex fide administrat tutelam. Qua voce ſignificatur etiam is qui in adminiſtratione tutelæ tantùm culpa peccat. Inter cæteras autem culpæ ſpecies, quas in damno iniuria dato cōmemorat Imp. eſt imperitia, §. *imperitia, d. tit. de leg. Aqui.* Vnde Caius Reg. 174. *Imperitia culpæ annumeratur.* Vt quia ſcilicet ei qui imperitia damnum dederit, imputari poſſit quod ſe rei ad ſe non pertinenti immiſcuerit, *l. culpa, hoc tit.*

AXIOMA CXLV.

De vi, & eo quod clam fit.

Ait Vlpianus, *Reg. 195. Hoc iure vtimur, vt quicquid omninò per vim fiat, id aut in vis publicæ aut privatæ crimē incidat.* Publica quidem quæ fit armis, *ad leg. Iul. de vi pub. in Pand.* privata verò, quæ ſine armis, *l. extat, quod metus cau.* idque niſi fallor quòd armis erectis nō is tantùm, cui quis comminatur, ſed tota veluti Reſpub. contremiſcat & cōturbetur. Vim autem elegāter deſcribit Vlpianus, & diſtinguit ab eo quod fit clam, cùm ait, Reg. 74. §. 2. *Vi factū videtur id, quod quisq; cùm prohiberetur, fecit: Clam, quod quiſq;, cùm controverſiam ſperaret, fecit.* Extat de hac re titulus, *in Pand.* Quod vi aut clam.

AXIOMA CXLVI.

Quot modis delicta committantur.

Delicta committuntur aut naturaliter, si furtum facit, qui ipse cõtrectat rem invito domino, *l. 1. de fur.* damnum iniuriâ, qui ipse damnum dat, §. *vlt. de l. Aquil.* Aut per interpretationem, sic furtum committit, qui opem & cõsilium præstitit, §. *interdum, de ob. ex malefic.* licet non contrectarit, quemadmodum & aliàs sæpe contingit, aliquid loco contrectationis fungi *l. qui tabulas, de furt.* sicque prudentum interpretatione furti actionem in eum competere. Cui simile est quod ait Vlpianus, *Reg. 130. Is damnum dat, qui iubet dare.* Et iterum alibi de vi. *Reg. 195. § 1. Deiecit, qui vel iussit, vel mandavit, vel ratum habuit.* Sic & aliàs in eum qui suo corpore damnum dedit, directa datur ex lege Aquilia actio, quò scilicet ea species verbis legis sit comprehensa. In eum verò qui alio modo damnum dedit, vtiles actiones dari solent, quia videlicet directa verbis legis, ea species interpretatione prudentum sit addita, qua de re est elegans apud Iustinianum decisio, *d. §. vlt. de leg. Aquil.*

AXIOMA CXLVII.

Quæ præstent à delictis excusationem.

Excusant à delicto maximè tria: Iussus domini, cuius imperium nequeat servus detrectar

ſtare. Alterum eſt iusipſum: Tertium & vltimum, impotentia avertendi. De iuſſu domini ſic ait Vlpianus, *Reg. 199. Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris, vel ſceleris:* Vt ſi ſervus vim aliquam, vel domini vel in iuris dominici defenſione feciſſet, & fortè volentem ingredi fundum herilem prohibere, imprudens vulneraſſet. *In his ignoſcitur ſervis*, vt ſcilicet non teneantur eo nomine aut cōveniri poſſint, cùm libertatem erunt conſecuti, *l. ſervus non in omnibus, de act. & obl. Si vel dominis, vel iis qui vice dominorum ſunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint.* In atrocibus verò (vt ſi dominus hominē, aut furtum fieri iuſſiſſet) non excuſatur ſervus. Idque tam diverſimodè, quòd in his, quæ à iure civili reprobata ſunt, non habeat ſervus parêre neceſſe, *l. prohibitum, l. defenſionis, C. de iur. fiſci.* In illis verò, quia civiliter ad defenſionem vel domini vel rerum dominicarum tenetur, non potuit non iubenti domino ſervus obtemperare. Vnde ſi in ea defenſione aliquem vulneret, etiamſi defenſio debeat eſſe moderamine inculpatæ tutelæ temperata, *l. 1. C. vnde vi.* tamen ob iuſſum domini penitùs ab omni culpa abſolvitur. Vnde Vlpianus, *Reg. 130. § 1. Eius verò nulla culpa eſt, cui parêre neceſſe eſt.* Nam, vt inquit Cicero, *in orat. pro P. Quinctio.* Omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpiùs illud cogitant, quid poſſit is, cuius in ditione & poteſtate poſiti ſunt, quàm quid debeant facere. Altero modo diximus,

mus, ius ipsum à delicto præstare excusationē. Vnde Paulus, *Reg. 197. Non videtur vim facere, qui iure suo vtitur, & ordinaria actione experitur.* Quemadmodũ & aliàs iustè possidet, qui autore Prætore possidet, *l. iustè, de acq. poss.* & qui damnum alicui, iure suo vsus, dedit, non potest videri damnum dedisse. Hinc illud Pauli, *Reg. 194. Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habuit.* Sunt enim illa, damnum, vis, iniuriæ vocabula, cui nunq̃ societas est cũ iure: qui ergo iure suo vtitur, nec damnũ, nec vim facit. Tertium caput, quo à delictis præstatur excusatio, est Impotentia avertendi: vnde Vlpianus, *Reg. 101. Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Et Paulus, *Reg. 110. Nullum crimen patitur*: hoc est, extra causam delicti est, *qui non prohibet, cùm prohibere non poßit.* Nemo enim ad impossibile obligatur, *l. impoßibilium, hoc tit.* alioqui verò iure naturæ, qui socium (vt inquit Cicero, *in officiis,*) non defendit, nec obsistit si potest iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes aut amicos deserat.

AXIOMA CXLVIII.

Quomodo obligatio ex delicto contracta dissolvatur.

Quemadmodum in civilibus solutione eius, quod debetur, omnis tollitur obligatio, *tit. quib. mo. tol. ob in princip. in Instit.* ita & in criminalibus, quæ vt præter rem aut damnum datum,

um, continent eo ampliùs etiam pœnam, *§. omnes autem actiones, de acti. in Instit.* ita duplex est ratio tollēdæ obligationis ex maleficio, vna facti, altera iuris. Facti quidē, cùm de restitutione eius rei agitur quæ abest alicui, *arg. l. in honoratis, de actio. & oblig.* (id autem abesse dicitur, in quo quis est læsus.) Hinc ille Canon, *Can. 4. peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Altera ratio est iuris, quæ proprio nomine pœna appellatur, *l. servus, de ser. exportan.* eaque rursus in Canonicam discedit & civilem, aliter enim Canones delicta coërcent, aliter leges. Sed de singulis seorsim, & quidem inprimis de pœnis.

AXIOMA CXLIX.

De pœnis.

Elegans & magni vsus est illa iustitiæ distinctio in commutativam & distributivā, *Arist. lib. Ethicor.* quarum illa quidem in contractibus, *l. 1. de contrah. empt.* & iudiciis, *l. 2. C. de rescind. ven.* Arithmetica proportione & analogia regendis, hac verò in munerum, *l. munerum, & l. 2. de mu. & honor.* & honorū distributione, item in pœnarū *l. nulli, C. de sum. trin.* irrogatione vtimur, in quib, non quidem eodem tenore omnia dispensantur, sed secundum cuiusq; vel ætatem, vel gradum, vel ordinem, sexum aut dignitatē: aliæ enim dignitates senibus, aliæ iunioribus, alię doctis, aliæ indoctis decernuntur: & si pœna exi-

genda est, non omnes, inquit Arrianus, *l. non omnes. de re milita.* desertores similiter puniend sunt, sed habetur ratio & ordinis, & stipendiorum, & gradus & militiæ. Cui non est illud absimile, quod hîc ait Paulus, *Reg. 109. Quod ferè in omnibus pœnalibus iudiciis & ætati & imprudentiæ succurritur.* Ætati quidem, quando non tàm severè in eum animadvertitur, quem ætatis imbecillitas potius, quàm malitia aut dolus ad delinquẽdum impulerunt, *l. 1. §. impuberes. & l. infans. ad leg. Cor. de sicariis.* Imprudentiæ verò, quando non tam gravia in eum supplicia statuuntur, qui aperta fronte & destinata voluntate deliquit, vt in eum qui est lapsus per imprudentiam, *l. respiciendum. de pœn.* Maiore enim pœnâ dignus est, qui consulto, quàm qui casu aliquem interficit aut vulneravit, nimirum quòd ille dolo, hic verò tantùm culpa peccet. Vulgatum est illud, quod propositum & voluntas distinguant maleficia, *l. qui iniuria, de fur.*

AXIOMA CL.

De pœnis canonicis.

Qui peccat, servus & debitor fit peccati, quæ quidem obligatio cùm civilis non sit, nec pecunia dissolvi potest, nec corporis suppliciis. Sed vt is qui peccat, Deo peccat, iuxta illud Psalmi: Tibi soli peccavi: quàm diu eidem per pœnitẽtiam & animi contritionem, vt aiunt, nõ est reconciliatus (quem hic correctum vocãt Canones)

nes) manet debitor, ad ius divinum quod attinet, etiamsi omnia fecerit, quæ fieri secundum hominem poterant. Cor enim contritum & humiliatum requirit Deus. Et hoc illud est, nisi fallor, quod vult illa regula in Canonibus, *Can. 5. Peccati venia non datur, nisi correctis.* Pœnæ verò pecuniariæ, civiles tantùm obligationes dissolvunt, non verò divinas, vt quia non sit vlla penitus humanarum rerum cum divinis proportio, *l. sunt personæ in fi. de religios. & sumpt. fune.* nam divina sunt inæstimabilia.

AXIOMA CLI.

De pœnis civilibus & deportatione.

Civilium pœnarum aliæ sunt privatæ in simplum, duplum, triplũ vel quadruplum, vltra non extenditur vlla civilis actio, *§. omnes autem actiones, de action.* Aliæ sunt publicæ, vt pœna capitis, deportatio, quæ in locum successit interdictionis aquæ & ignis, *l. inter pœnas, de interdi. & releg.* quę nihil est aliud, quàm perpetuum quoddam exilium, annotata provincia vbi sit manendum, bonis in fiscum redactis, deducto tamen priùs alieno: *l. non possunt de iu. fisc.* & sic illud responsum tàm monstrose ab interpretibus agitatum intelligo. *Reg. 95. Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.* Nam non possunt vlla bona ad fiscum pervenire, nisi quæ creditoribus supsunt. Atq; hæ ferè sunt

regulæ ad maleficia pertinentes. Iam proximè sunt actiones.

AXIOMA CLII.

De actionibus & judiciis.

Altera pars huius tractatus ad actiones pertinet, quarum enarrationem in duo capita scindemus, vnum de præparatoriis actionum: alterum de ipsis actionibus seu judiciis. Inter præparatoria verò quædam sunt necessaria, quædam tantùm incidentia. De necessariis priori loco, tum de incidentibus.

AXIOMA CLIII.

De præparatoriis judiciorum necessariis.

Præparatoria necessaria sunt, quæ salva & incolumi recta ratione persequendi juris sui, omitti non possunt, vt sunt jurisdictio, in ius vocatio & editio. Priùs enim illud videndum est, an is apud quem litigabitur, habeat juris dictionem: Si sic, tum securè in jus vocabitur adversarius, & genus actionis edetur.

AXIOMA CLIIII.

De jurisdictione.

Iurisdictio, nunc generis, nunc speciei loco fungitur, *l. Imperium de iurisdict.* frequens est enim genus speciei locum ob vocabulorum penuriam ingredi. Sic adoptio genus, in arrogationem & adoptionem speciem: Cognatio, in

agnatio

agnationem & cognationem discedit. Vt ergo generis locum tenet Iurisdictio, ita species habet sub se, merũ imperiũ, mixtũ imperiũ, & jurisdictionẽ, q̃ tres species ex triplici magistratus in Repub. officio & munere oriuntur. Nam vel magistratus coërcet facinorosos & gladio in eos animadvertit; vel sine vi aut judicio conservat pacem & tranquillitatem in Repub. cuius est quidam veluti custos, vel deniq; ius dicit. Cui postremò respondet Iurisdictio. Medium, mixto imperio. Primùm, imperio mero, quod etiam gladii potestatem appellamus, *d. l. imperium.* quæ quia non jure magistratus competit, sed specialiter lege, S. consulto, vel à Principe defertur, meritò non potest ad alium transferri, *l. 1. de eius cui mand. est iurisd.* Hinc Vlpianus, *Reg. 71. Nemo potest gladij potestatem sibi datam, vel cuiuslibet alterius coërcionis, ad alium transferre.* Maioris enim operæ negocium id olim maioribus nostris videbatur, si de liberi hominis capite judicium dicturi essent, quàm vt temerè cuiuis id esset permittendum, qui non etiam à tota Repub. (de cuius membro & mutilatione agebatur) mandatum accepisset; adeò vt olim ne Consules quidem, quorum tamen summa potestas erat, civem Romanum damnare potuerint, sine speciali Pop. Rom. iussu, & cùm iussisset populus, tum cognitionem quidem eius rei delegare poterant, condemnationem verò, quàm

quam personalem fecerat iussus populi, *arg. l. & quia in fi. de iurisd.* minimè. Et eò referendum esse puto, quod ait Vlpianus, *Reg. 38. Nemo qui condemnare non potest, absolvere potest.* Quasi dicat, delegatus ad cognoscendum de crimine, vt condemnare convictum de crimine non posset, *l. solent de offi. procons.* ita nec eundem probatum innocentem, posset absolvere: de quo tamen iusta poterat esse dubitatio, quòd proniores sint leges ad absolutionem, quàm ad condemnationē, *l. Arrianus de act. & ob.* Iurisdictione verò alteri mandata, non solùm cognoscere judex datus, sed & judicare potest & absolvere, *arg. d. l. 1. §. verum.* secundum formulam tamen à Prætore præscriptam, vt & definitio indicat: nam iurisdictio nihil est aliud, quàm judicandi vel judicis dandi licentia, *d. l. Imperium.* Prętor enim qui actori formulam petēti actionem dat, solet etiam judicem dare, qui vt non dat ipse actionem, sed de actione per Prætorem concessa, tantùm cognoscit & pronunciat, ita nec potest ei, cui à Prętore data est actio, ipse actionem denegare, hoc est, juris acquisiti prosecutionē suo arbitrio impedire, aut eum ab agendo repellere. Et sic intelligo abstrusum illud Vlpiani responsum, *Reg. 103. §. 1. Eius est actionem denegare, qui potest & dare.* Etsi enim habeat quis alium ex legitimo contractu obligatum, & sic actio ei competat, *§. non autem de perpet. & tempo. action.* adhuc tamen actionem olim non dicebatur

habere

habere, hoc est, agere posse, nisi eam à Prætore impetrasset, qui dabat Iudicem & actionem, *ar. l.1. commodati.*

AXIOMA CLV.

De in jus vocando.

In ius vocare nihil est aliud, quàm juris experiundi causa alicui diem dicere, quod olim sine apparitore fiebat, sed qui ad Prætorem Iuris experiundi causa venire recusasset, duci & obtorto collo rapi, etiã invitus, ab actore poterat, adeò, vt Nonius Marcellus hoc loco, vocare positum pro trahere & ducere annotavit. Vnde illud Terentii, *in Eunucho. actu 4. Sce. 6.* Si vim faciet, in ius ducito hominem, & Horatius *lib.1. Satyra 9.* Rapit in ius, Clamor vtrinq;, vndique cõcursus, &c. Et inde quoq; est, quòd actio interprete Theophilo *ad prin. tit. de act. in Instit.* ab agendo, hoc est, ducendo nomen habeat. Aliquando tamen jubetur dimitti is qui vocatus est, nec invitus ducitur, nimirum, si vel aliquis personam rei vocati defendat, vel si vocatus in domum suam se receperit. *l. neq; de in ius vo.* Nam vt ait Paulus. *Reg. 104. Nemo de domo sua invitus debet extrahi.* Sua enim cuiq; domus tutissimum est refugium. *l. plerîq; d. tit.* Postea verò inventæ sunt citationes, hoc est, legitimæ evocationes, quæ per apparitores fiunt, quibus in ius venire iubetur quisq; seu foris, seu domi sit, pro

sit, propterea quòd vtilius videretur, vt sic legitimè per judicem evocarentur, quàm ab ipsis actoribus tædio diuturnæ latitationis fatigatis per vim eriperentur, quod vt ne fieret, intererat Reipub. Et hoc est quod ait Vlpianus, *Reg. 137 Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri poßit, ne occasio sit maioris tumultus faciendi.*

AXIOMA CLVI.

De editione.

Qui aliquem in ius & ad Prætorem olim vocasset, edere actionem ei debebat, vt perinde sciret reus vtrum cedere vltra, an contendere deberet, *l. 1. de edendo.* Hodie verò post formulas & impetrationes actionum sublatas, *l. 1. C. de form.* in locum editionis successit libelli oblatio. Qua de re nihil ampliùs dicemus, cùm nullæ in hoc argumentum incidant regulæ.

AXIOMA CLVII.

De præparatoriis incidentibus.

Quando iam erat reo apud Prætorem edita futuræ litis actio, tum ex altera parte reus debebat & ipse suas exceptiones, quibus confundere intentionem actoris vellet, nuncupare: fortè ex pactis, Transactionibus, vel ex causa restitutionis in integrum impetratæ.

AXIOMA

AXIOMA CLVIII.

De pactis & transactionibus.

Quemadmodum ea pacta quæ facti sunt, nihil virium habent adversus ea quæ sunt juris, *l. si vnus, §. pactus, de pactis.* ita privatorum conventio non potest in vllo Iuri publico derogare: vnde Vlpianus, *Reg. 46. §. final. Privatorum conventio iuri publico non derogat.* Et iterum Paulus, *Reg. 28. Nec ex Prætorio, nec ex solenni iure, privatorum conventione quicquam immutandum est, quamvis obligationum causæ pactione possint immutari & ipso iure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus, vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur, nisi tunc, cùm incboatur pactio, inter eos convenit.* Ideò privatorum conventio juri publico non derogat, quòd nulla sit privati cum publico proportio, *arg. l. 1. solut. matr. §. cùm in suo solo. de re divi.* Ideò verò obligationum caussæ, hoc est, ipsius contractus qualitates & accidentia, per pactum immutari possunt, quòd conventio & contractus à voluntate contrahentium (quæ est privata & singulorum) formam accipiat, *l. 1. §. pen. de pactis*, adeò vt juris civilis autoritas, quæ solennis & publica est, ei nō accedat, nisi demum perfecto contractu. Nō est ergo mirū si interim caussæ obligationū, hoc est cōventiones ipsæ, privatorū pactis immutari possint idq; vel *ipso iure*, si sc. cōtractui sic vniātur vt *l. iuris. §. quinimò de pact.* insint,

infint, vel *per pacti conventi exceptionem*, nimirum si perfecto & abſoluto contractui ex intervallo accedant, quæ conventiones ipſum contractum, qui ſemel formam & perfectionem ſuam accepit, mutare non poſſunt, exceptionem tamen pariunt, *d.l. iuriſc. §. vt puta.* quæ & ipſa quodammodo poteſt videri actionem immutaſſe, cùm ad effectum quod attinet nihil interſit, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem repellatur, *l. nihil intereſt, hoc ti.* Et cum his conſentit illud quod ſtatim ſequitur *Quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur.* Suppl ipſo jure, ſed benè per exceptionem, *Niſi tunc cùm incboatur pactio, inter eos convenit.* A contrario ergo, ſi ex intervallo & perfecto iam contractui acceſſit, non infirmatur ipſo jure, ſed vtiq; per exceptionem, vti modò diximus, & hæc de pactis: at verò de tranſactionibus non ſunt vllæ prorſus hîc obviæ regulæ.

AXIOMA CLIX.

De in integrum reſtitutionibus.

Fieri ſubinde poteſt, vt juſta ſit actoris contra reum petitio, & tamen ex altera parte ſit iniqua adverſus eum, cum quo agitur, ſuadetque æquitas, vt ei ſuccurratur, quia videlicet lapſus aut circumſcriptus ſit, vel per metum vel dolum, vel minorem ætatem, vel ſexus fragilitatem

gilitatem, vel deniq; per absentiam. Et quidem quomodo his succurratur, qui vel ob metum vel dolum circumscripti sunt, priùs dictum est: Hîc de cæteris videamus.

AXIOMA CXL.

De restitutione ob sexum.

Ait Paulus, *Reg. 111. §. fi. Mulieribus tunc succurritur cùm fraudãtur, nõ vt faciliùs calumnientur.* Æquitatis enim interpres est Prætor, *l. divus, de in integ. rest.* non fautor & defensor injuriarum. Vnde responsum est, quòd si mulier decipiendi animo intercesserit, cùm sciret se non teneri, nõ adiuvandam exceptione S. Consulti Velleiani, *l. si decipiendi animo, ad S. con. Velleia.*

AXIOMA CLXI.

De restitutione ob absentiam.

Ait Vlpianus, *Reg. 183. Absentiam eius qui Reipub. causa abest, neq; ei, neq; alij damnosa esse debet:* Non quidem ei, ne ex sua probitate quisquam sentiat incommodum, *l. 1. in prin. de dolo malo.* Non etiam alii, ne scilicet res inter alios acta, noceat aliis. *l. sæpè, de re iud.* Eum verò abesse dicimus, qui nec ipse conveniri potest, nec domini habet à quo defendatur, *l. item ait Prætor, qui. ex ca. ma.* Quid enim si is qui rei meæ vsucapionem inchoavit, abesse Reipub. causa incipiat, nonne id erit iniquissimum, vt mihi non va-

lenti cursum inchoatæ vsucapionis impedire, currat præscriptio, *l. 1. de annali exceptio.* Inter alios verò qui Reipub. causa abesse non possunt, est servus. Hinc illud Paul. *reg. final. Servus Reipublicæ causa abesse non potest.* Civile enim munus est abesse Reipub. causa, & his qui mittuntur honorificum: vnde legati etiam adhuc hodie sacrosancti, *l. sanctum, de re. divi.* sunt & inviolabiles.

AXIOMA CLXII.

De ipsis actionibus & Iudiciis.

Nunc de illis regulis videndum est, quæ ipsi actionibus & judiciis applicantur, quarum tractatio in tria capita discedit: Quid sit actio, & in quot divisiones ac vnde sumptas dividatur: tum de personis ad judicium pertinentibus: ac deniq; de partibus actionum.

AXIOMA CLXIII.

Quid sit actio, & quotuplex.

Actio nihil est aliud (autore Celso, *l. nihil est aliud, de act. oblig.*) quàm ius persequendi in judicio quod sibi debetur. Divisionem verò recipit actio à causa efficiente, à fine, à forma, deniq; à propriis. Ab efficiente quidem, cùm dicimus

earum

earum aliàs esse Civiles, aliàs verò Prætorias, *§. sed ista, de actionib.* A fine dupliciter divisa est: Semel, cùm alia in rem est actio, alia in personam, *d. tit in prin.* Iterum, cùm aliæ sunt rei persecutoriæ, aliæ pœnales, aliæ mixtæ, *§. seq. d. tit.* A forma deniq; sumpta est illa divisio in actiones bonæ fidei, & stricti Iuris, *§. actionum autem, d. tit.* Postrema divisio venit à proprietatibus actionum. Nam quædam earum sunt temporariæ, quædam perpetuæ, *tit. de perp. & temp. actio.* & iterum sunt quibus non semper solidum persequimur quod debetur nobis, sed modò solidum, modò minus, *§. sunt præterea, d. tit.*

AXIOMA CLXIIII.

De speciebus actionum ab efficiente, & fine sumptis.

De causa efficiente actionum, quòd earum aliæ civiles sunt, aliæ Prætoriæ, plura in Institutionibus. Eamus ad actiones in rem & in personam. Et quidem in personam actio nomen à persona ducit, quam solam creditor obligationis nomine habet obnoxiam sibi & quodámodò servientem, *ar. l. ob æs, C. de act. & ob. & eop. in princ. tit. de actio.* nam obligationum substantia non in eo cõsistit, vt res aliqua fiat nostra, sed vt nobis aliquid debeatur, *l. 3. de act. & l.* Contrà in rem actio, nihil cum persona cõmercii habet, solamq; rẽ persequitur, & in eam

actor olim apud Iudicem manum inijciens, dicebat esse suam, quod erat rem asserere seu vindicare, *Gellius in noct. Atti.* Cui quidem vindicationi non erat alius ad quem propiùs pertineret contradictio quàm possessor: vnde illud, quod in rem actio, seu rei vendicatio possessorem sequitur, *d. tit. de acti. in prin.* idq; non sui, sed tantùm ipsius rei contemplatione. Sunt autem hæ species actionum in rem & in personam duplicis generis: nam & civiles sunt in rem, & in rem Prætoriæ, *d. §. sed istæ*, vt Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, & quasi. Sunt etiam in personam Prætoris jurisdictione quædam actiones introductæ, vt actio de constituta pecunia, de Iurejurando, de peculio. Nunc ad singula, quatenus regularum œconomia & dispositio postulabit. Nam de Publiciana & Rescissoria non sunt vllæ regulæ.

AXIOMA CLXV.

De Pauliana, seu de his quæ in fraudem creditorum.

Si quis, inquit Imp. *§. item si quis. d. tit.* in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit, bonis eius à creditoribus possessis ex sententia Præsidis, permittitur ipsis creditoribus rescissa traditione eam rem petere, hoc est dicere eam rem traditam non esse, & ob id eam in bonis debitoris mansisse. Planè vt in frauden

dicatu

dicatur facta alienatio, debet omninò & diminutum esse patrimonium debitoris, *l. qui autem, in prin. quæ in frau. cred.* & deinde etiam eò ampliùs re ipsa seu eventu & destinatione debitoris intervenisse. De priore est illa regula Vlpiani, *Reg. 177. Non fraudantur creditores, cùm quid non acquiritur à debitore, sed cùm quid de bonis diminuitur.* Nam qui occasione acquirendi non vtitur, non intelligitur alienare, *l. alienationis verbum, de ver. sign.* De posteriore regula est talis à Papiniano prodita, *Reg. 80. Fraudis interpretatio semper in iure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoq; consideratur.* Capiunt enim delicta perinde formam ab animo & voluntate, vt contractus: vulgatum est enim, quòd propositum & voluntas distinguat maleficia, *l. qui iniuriæ, de furt.* Si ergo desit voluntas fraudandi, impossibile erit, vt fraus commissa esse dicatur.

AXIOMA CXLVI.

De actione de peculio.

Pater qui liberam filio administrationem concedit, tacitè se obligat, vt ex contractibus filii securè conveniri à creditoribus possit, quatenus est in peculio, *arg. §. fi. quod cum eo, l. si institorem, si cer. peta.* Dixi, ex contractibus (qui plerumq; lucri & compendii intentione fiunt, *l. actionum, de act. & oblig.*) non verò ex delictis, vt quia is qui ex edicto in pœnam civilem incidit, non compendium quærit, sed res suas dissipat

potiùs: & ideò in patrem de peculio actio ad pœnam à filio commissam non dabitur, *l. quod servus, in fi. de ac. poss.* Et hoc est quod ait Vlpianus, *Reg. 59. Ex pœnalib. causis, non solet in patrem de peculio actio dari.* Et licèt filius peculii sibi concessi habeat administrationem, revera tamen nec dominus esse peculii nec illud possidere dici potest, vt pote possessus ipse ab alio, *arg. l. qui in servitute, de Reg. Iur.* adeò vt siquidem de rei peculiaris possessione per interdictum retinẽda, recuperanda aut adipiscenda] agatur, debeat pater agere non filius: vnde illud Mætiani, *Reg. 94. Filiusfa. neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris videtur.* Sed iam de actionibus bonæfidei & stricti Iuris, quas à forma nomen habere diximus.

AXIOMA CLXVII.

De divisione actionis à forma.

Quòd actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris, *d. §. actionum autem, de acti. in Insti.* primùm ab ipsa formularum conceptione natum est, quas Prætor actionem petentib⁹ solet præscribere: nam quibus clausulam, *Ex bona fide* adijciebat, *l. quæro, locati, & Cic. in Topic.* hæ bonæfidei dicebantur: quibus non addebat, dicebantur stricti juris, quòd videlicet iudicis dati potestatem stringerent illæ formulæ, arctarentq; ad ea tantùm, quæ litigatores in iure apud Prætorem contestati essent, *Seneca in opus. de beneficijs,*

beneficiis, quæq; Prætor in formula concessa expresisset: Cùm alioqui ex his formulis, quibus adijci, *Ex bonafide* clausula solebat, haberet iudex datus potestatem de illis etiam æstimandi, quæ nec apud Prætorem proposita, nec in formula essent expressa, *l.huiusmodi,de leg.1.l.3.de resein.vendit.* vt sunt exceptiones pacti conventi, doli mali, & multa talia, quæ alterum alteri ex bono & æquo præstare debere appareret, *§.in bonæ fidei,de act.* Et licèt hæc formularum superstitiosa solennitas & iudiciorum impetratio sit antiquata, *l.1.C.de formulis*, manserunt tamen nihilominus in ipsis actionibus veterum ceremoniarum & solennium integra nomina.

AXIOMA CLXVIII.

De perpetuis & temporalibus actionibus.

Perpetuæ actiones sunt, quæ secundum naturam iuris perpetuò competunt, quales sunt omnes actiones civiles, tam pœnales quàm rei persecutoriæ, sine discrimine, *tit. de perpet. & temp.acti.in prin.in Instit.* Temporariæ verò, quæ certum tempus habent, quo si non sint propositæ, consumuntur: cuius generis sunt actiones Prætoriæ, quæ plerunq; intra annum vivunt: nam & ipsius prætoris intra annum erat imperium, *d. tit. in prin. & l. in. honorariis, de action. & obligatio.* Excipio rei persecutorias à Prætore introductas, quas ipse

ad juris civilis imitationem fecit perpetuas, *d.l. in honorariis*, quòd scilicet rei persecutio sit naturalis, & summam habeat æquitatem, vt suæ quisq; rei habeat persecutionem. Secus in Prætoriis pœnalibus, quæ vt angustissimis spaciis essent conclusæ, plurimum Reipub. intererat, ne scilicet delicta diu manerent impunita. Illud autem in civilibus actionibus est observandum, quòd quæ pœnales sunt, licèt perpetuæ sunt, tamen in heredem non transeunt: vnde Paulus, *Reg. 112. §. 1. In heredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio, veluti furti, damni, iniuriæ, vi bonorum raptorum.* Quod tamen videbatur non esse ferendum, cùm heres sit juris successor, in quem omnia transeunt civilia, *l. cùm heredes, de acqui. poss.* quia tamen pœna delicti nomine introducta, delictum ipsum & authoré potiùs spectat, *ar. l. crimen de pœnis* quàm ius, nec tam nascitur ex delicto obligatio, quàm actio, *arg. §. fi. de ob. ex malefi.* (quæ diversissima sunt; nam qui rem alienam possidet, actione quidem tenetur, sed verum est eum non esse obligatum, *tit. de action. in prin. in Inst.* & ideò si possidere desinat, desinet etiam actione pulsari posse,) non est mirum, si authore delicti mortuo, evanescat & actio, nec competat adversus heredem, *§. non autem, de perpet. & tempor.* Planè duobus casibus contingit actionem pœnalem, in heredem æquè, vt in defun-

ctum,

ctum, exerceri. Vno, si lis sit contra defunctum contestata: vnde Paulus, *Reg.135. Pœnalia iudicia semel accepta, in heredem transmitti possunt.* Est enim litis contestatio quidam quasi contractus, *l.3.§. idem scribit. de pecul.* ex quo statim nascitur obligatio, incipitque res in iudicium deducta, iam inde ex obligatione deberi, quæ iuris indolem habet, meritò igitur erit etiam perpetua. Altero modo, si ad eum ex delicto defuncti aliquid pervenerit: vnde Pomponius, *Reg.39. Sicuti pœna ex delicto defuncti heres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset.* Tum quia sit rei persecutio naturalis, vt in Prætoriis in rem actionibus est manifestum, quæ etiam post annum dãtur, *d.l. in honorariis.* tum quia non sit æquum, vt quisquam aliena iactura locupletetur, *l. iure naturæ, hoc tit.* pervenisse autem ad heredem dicitur, si vel momento ad eum pervenit. Hinc illud Pauli, *Reg.170. Cùm Prætor in heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, sufficit si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.* Illa autem verba, cùm Prætor dat actionem, non sunt referenda ad ius prætorium, sed ad actiones quæ olim à Prætore impetrari debebant, *d. l.2. de origi. iuris.* vt sunt omnes civiles actiones, inter quas numerantur actiones ex maleficiis: ex quibus ideò tenetur heres, si quid vel momẽto ad eum pervenit, quod videlicet ad hoc, vt ius sit perpetuum, satis sit semel extitisse, *l. si filiusfa. de verb. obl.* nec ius aliquod contrariũ quo

tolli potuerit intervenisse, *l.nihil tam naturale, hoc titulo.* Nec sunt illa verba otiosa, *Ex dolo defuncti*, quemadmodum testatur illa Vlpiani regula, *Reg.45. Toties in heredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex suo*: nam ex suo quisq; dolo in solidum conveniri potest. Et hactenus quidem de dolo defuncti extra contractum, & in maleficio commisso: nempe per vim, rapinam, furtum. Nam dolus qui defuncto imputari ex cōtractu potest, heredem obligat in solidum, *l.1 §. depositi, de act. & oblig.* Vnde Vlpianus, *Reg.200.§. finali*: *In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantùm in id quod ad eos pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, vt vnusquisque pro ea parte qua heres est, conveniatur*: vt sic solida obligatio repræsentetur; cùm huiusmodi dolus ex coniunctione contractus, cui adhęret, iuris conditione tinctus sit, *l. & eleganter, de dolo.* & sic qualis in defuncto erat, transit etiam in heredem: quod in his contractibus maximè apparet, in quibus bonam fidem præstare iubemur: vnde illud Pauli, *Reg.195.§.final. In contractibus, in quibus doli præstatio, vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.* Cuius generis sunt omnes contractus bonæ fidei, in quibus bona fides ipso iure inest: In aliis verò contractibus, nempe stricti iuris, etsi non insit dolus, *d.l. & eleganter, §. non solum, & l. si quis cùm aliter, de verb. obl.* habet tamen bona fides (quæ à nulla contractu abesse potest,)

coniun-

l.bonam fidem, C. de act. coniunctam ex æquitate doli præstationem, quæ nunc exceptione doli, *d.l.si quis cùm aliter*, nunc actione de dolo cõservat eum indemnem, *d.§.nõ solum, in fi.* qui dolum passus est. Cuius quidem doli, à defuncto commissi, gratia, & contra heredem excipi, & cum herede agi potest, non quidem actione de dolo (nam illa infamis est, *l.1.de his, qui no. infa.*) sed actione in factum.

AXIOMA CLXIX.

De actionibus, quibus modò solidum, modò minus persequimur.

Sunt, inquit Imper. quædã actiones, quibus non semper solidum persequimur, quod debetur nobis, sed modò solidum, modò minus, *§. sunt præterea, de act.* vt in actione de peculio. Nam si tantum in peculio est, quantum debetur, solidum actor consequetur: Si non, eatenus tantùm, quatenus se vires peculii extendunt. In eodem numero sunt illæ actionum species, quibus non vltra reus condemnari potest, quàm quatenus facere potest, *§. item si de dote. d. tit.* hoc est, quemadmodũ interpretatᵗ Iulianus, vt eius ratio habeatur ne egeat. Ait.n. Iulian. Iureconsultus, *Reg.134. In condemnatione personarum, quæ in id quod facere possunt damnantur, non totũ quod habent extorquẽdum est, sed earum ratio habenda est, ne egeãt.* In quo genere sunt hi ferè, *l. sunt qui, cum §. seq. de re iudic.* socius, parens, patronus, patrona, liberi-

liberique eorum & parentes: item maritus de dote: miles qui ſub armata militia ſtipendium facit. Is quoque qui ex cauſa donationis convenitur, vt inquit Paulus, in quantum facere poteſt condemnatur. Cui conſentit illa Vlpiani regula, *Reg. 27. Divus Pius reſcripſit, eos qui ex liberalitate ſua conveniuntur, in id quod facere poſſunt condemnandos.* Durum enim & inhumanum illud videbatur, ſi filius ita patrem emungeret, cui vitam debet, ſi libertus ita patronum exigeret, à quo libertatem, rem inæſtimabilem accepit, *l. libertas hoc tit.* ſi vxor maritum, cum quo omnis vitæ conſortium, divini & humani iuris communicationem habet, *l. 1. de ritu nupt.* ita premat, vt eum inopem famelicumq; relinquat. Tantundem eſt & de milite, qui ſui capitis periculo pro Repub. vigilat, vt omnes in tranquillitate & otio ſimus. Et quidem hoc beneficium in cæteris perſonale eſt, ſic vt ad heredes non transeat. In ſocio verò cauſæ magis eſt, quàm perſonæ, *§ ſed & ſi quis, de acti.*

AXIOMA CLXX.

De perſonis ad iudicium pertinentibus.

Omne iudicium duplici perſonarum genere conſtat, litigatoribus & iudice. Et rurſus litigatorum alii ſunt actores, alii rei: & horum quidam ſuo nomine litigant, quidam alieno. Priùs ergo de actore & reo hîc dicendum erat, niſi re-

gulæ

gulæ ad eam rem pertinentes, oportuniore loco priùs essent declaratæ. Quare ad eos transeo, qui alieno nomine litigant in iudicio.

AXIOMA CLXXI.

De his, qui alieno nomine litem suscipiunt.

Discedit hoc argumẽtum in aliquot distincta capita, nempe, an quis alieno nomine litem suscipere possit: Si sic, tum quot sint horũ species: ac denique ad alienam litem suscipiendam quæ sint necessaria? De singulis separatim dicamus. Et quidem ad primum quod attinet, admonẽdi sumus, olim in vsu fuisse, vt alieno nomine agi nõ posset, nisi ꝓ populo, ꝓ libertate, ꝓ tutela, *tit. per quas perso. ag. pos. in Inst.* Hinc illa Vlpiani regula, *Reg. 166. Nemo alieno nomine lege agere potest.* Est enim lege agere solenni formula, impetratis solenniter actionibus apud magistratum experiri, *Cicero pro Murena, l. Barbarius, de off. præ.* vnde legis actiones sunt appellatæ, quæ cùm solennes & iuris Quiritium essent, *l. 2. de ori. iur.* (quod nimio plus scrupulosum erat, *l. vn. C. de nud. iur. Quir. toll.*) facilè fuit vt in iis exercẽdis nemo alieno nomine audiretur, donec tandem vtilitate rigorem iuris Quiritium vincente receptum est, vt per procuratores litigare liceret. Nam & morbus & ætas & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ hominibus sæpè

sunt

ſunt impedimento, quo minus rem ſuam ipſi poſſint exequi, *d. tit. per quas perſo.*

AXIOMA CLXXII.

Quot ſint ſpecies eorum qui pro aliis agunt.

Eorum qui alienam litem cauſamque ſuſcipiũt, quatuor ſunt ſpecies: eſt Patronus, eſt Advocatus, eſt Procurator, eſt denique defenſor, quem Cicero & alibi quoq; Imp. cognitorẽ vocat. Quę ſit autẽ propria cuiusq; horum ſignificatio ex his Aſconii Pediani, *in divina. Cicero.* verbis facilè intelligas. Qui defendit alterum (inquit) in iudicio, vel Patronus dicitur, ſi orator eſt: vel Advocatus, ſi ius ſuggerit, aut præſentiã ſuã amico accõmodat: vel Procurator, ſi negotium abſentis ſuſcipit: vel cognitor, ſi præſentis cauſam novit & ſic tuetur vt ſuam, vnde Cicero familiariſſimum defenſorem appellavit. Sed de primis duabus ſpeciebus hîc nihil dicemus ampliùs. Poſtremas ſpecies aſſumã, de procuratoribus & defenſoribus, inter quos quid interſit ex Pediani verbis poteſt intelligi, quæ illam habent ſignificationẽ, quòd qui ad alienã litem ex mandato rei principalis accedit, ſit procurator, ſeu agat, ſeu defendat, *l. 2. de procuratorib.* qui verò ſine mandato rebus alienis ſpontè ſe obtulit in iudicio, *l. item ait Prætor, ex quib. cau. ma.* eſt defenſor, vnde in π. eſt titulus de procuratoribus & defenſoribus: verùm vt abſentis amici negotia

negotia tuenda capere officii & amicitiæ est, *l.1. de neg. gest.* ita & defendere & procuratorẽ esse. Et hinc est quod dicit Vlpianus, *Reg. 198. Invitus nemo cogitur defendere*: nam, vt dixi, necessitatem non habet ea res, sed officium.

AXIOMA CLXXIII.

De his quæ sunt ad alienam litem suscipiendam necessaria.

Quòd olim alieno nomine agere non erat permissum, *l. nemo alien. supra axio. 171.* id ex mero iuris Quiritium rigore & anxietate eveniebat, quod ius, vt nõ sinebat cuiquã ius suum persequi, nisi formulam à collegio Pontificum impetrasset, *l. 2. §. deinde, de or. iu.* ita nec patiebatur vt quis, quàm cuius de re ageret, in iudiciũ veniret, incivile illud ducẽs, si soleñia illa iudicia passim cuiusq; arbitrio & intercessione protrita turbarentur. Verùm quando ætas posterior nimiam illam anxietatẽ perosa, introduxit, vt per alios litigare liceret, vt id iure Quiritium & maiestate solennis iuris salva, *ar. l. pe. de iust. & iur.* fecisse videretur, operæ pretiũ fore ducebat, vt procurator alienã litem suscipiens, in limine iudicii se dominũ totius litis constitueret, *l. procuratoribus, cum l. seq. C. de procur.* aut si defensor tantùm esset (hoc est sine mãdato accessisset) satisdaret dominum rem ratã habiturũ: quæ satisdatio factura videbatur vt & ipse suũ negotium egisse

egisse crederetur, *l. qui proprio, §. qui alium, l. si minor, de procurat.* & solennibus ipsoque iure Quiritium salvo, actionem persecutus esse, nõ quidem alienam, sed suã. Sed de satisdatione paulò plura dicamus, nempe, Qui satisdare debeant, & quis sit satisdationis effectus.

AXIOMA CLXXIV.

Qui satisdare debeant, & quis sit satisdationis effectus.

Satisdare debẽt, vt diximus, defensores: nam cùm sine mandato rei principalis ad iudicẽ accesserunt, periculum est, ne, si condemnatio sequatur, non habeat dominus ratum iudicium contra se, inter alios, & se nõ mandante latum, *l. sæpè, de re iud.* quæ quidem res faceret iudicium illusorium. Cui absurditati obviam itum est per satisdationem, sine qua nemo admittitur ad defensionem. Hinc illæ regulæ, *Reg. 127. Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.* Et alia eiusdẽ, *Reg. 111. Nemo alienæ rei expromissor idone' videtur, nisi cum satisdatione.* Quæ satisdatio facit, vt reus principalis, qui abest, videatur esse præsens, eiusque causam & personam repræsentat, *d. §. qui alium.* Qui quidem satisdationis effectus est multò maximus: nam & illum qui se offert iudicio pro alio, facit idoneum vt non repellatur à limine iudicii, & eum qui defenditur, etiamsi solvendo per se non sit, in ea tamen conditione

tione eum collocat, vt debeat iam inde dici esse solvendo: vnde Vlpianus, *Reg. 96. Nemo dubitat solvendo videri eum qui defenditur.* Nam qui vel per se, vel per alium potest solidum solvere, verum est quòd sit solvendo, *l. solvendo, & ibi Accur. de ver. sign.*

AXIOMA CLXXV.

De iudice.

Tres diximus ad omnia iudicia requiri personas, actorem, reum & iudicem: & hinc est quod ait Vlpianus, *Reg. 73. Omnia quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.* Intellige, sed per Iudicem seu Prætorem, causarum cognitionem pro tribunali facientem, cuius id in Repub. præcipuum erat ministerium, vnde & in 12. tab. *Cice. l. 2. de legib. Iuris disceptator qui privata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor esto.* In eandem sententiam est illud Pauli, *Reg. 105. Vbicunque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.* Illa enim causæ cognitionem desiderant, quæ iurisdictionis cōtentiosæ sunt, hoc est altercatione iudiciaria pro tribunali solenniter excutiuntur, *Salom. ad l. nec quicquam. §. de plano, de off. procons.* Illa verò per libellum quæ rescriptis principum, aut responsis prudentum deciduntur, *d. §. de plano.* Nam vt ad privatas contentiones dirimendas constituta sunt iudicia, in quibus vterque litigatorum de iure suo hinc & illiac disceptans admittitur, ita prudētes & prin-

cipes libellis non consulebantur nisi à iudicibus, *l.2.de or.iur.ar.§.responsa,de iur.na.gent. & civi.* qui vtraque parte audita dubitabant, quid iuris aut iniuriæ in facti specie proposita constituēdum esset. Vt quis ergo contentiosa illa disceptatione in iudicio prætermissa, litem suam per libellum, hoc est, rescripto principis aut responso prudentis finiri, velut indicta causa postulet, non est ferendum, vt quia debeat is, qui de aliqua re pronunciaturus est, vtramq; aurē præbere, alteram actori, reo alterā, adeò vt Capitolino teste, *in Macrino,* Traianus Imp Libellis nunquam responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ fortè ad gratiam aut odium alicuius essent composita.

AXIOMA CLXXVI.

De partibus actionum.

Quemadmodum actiones duplici personarum genere constant, litigatoribus & iudice: ita quædam actionum partes à litigatoribus veniunt, quædam à iudicibus. Et rursus earum quæ veniunt à litigatoribus, aliæ sunt necessariæ, vt litis contestatio: aliæ non necessariæ, vt exceptio & replicatio. Et quia nonnunquam plures actiones, item & exceptiones cumulantur, *l.si idem cum eodem, de iur.* non intempestivum erat hoc loco de cumulationibus tractari. Tertiò & vltimò earū partium quæ ad iudicem pertinē duæ sunt præcipuè, nimirum sententia & offi-

cium

cium iudicis. Sed de ſingulis ordine videamus, & primò de litis conteſtatione.

AXIOMA CLXXVII.

De litis conteſtatione.

Litis conteſtatio nihil eſt aliud, quàm quędã inter eos qui invicem controverſiam habẽt, de iudicio ſuſcipiendo conventio, non ſolùm inter ipſos, ſed etiã cum iudice inita, qui eos cùm ſponte ad ſe veniſſent, ſolet interrogare, an ſibi de controverſia quæ inter eos eſſet, iudicandi poteſtatẽ facerent, *Alcia. ad l. pecuniæ verbum, in fin. de ver. ſignif.* & cùm ipſi ſe facere reſpondiſſent, iam tum propriè dicebatur ſuſceptũ iudicium, & lis conteſtata: ducto nomine videlicet à teſtibus, qui illi contractui & conventioni ad ſolennitatem adhibebãtur, coram quibus ſtatim verbis ſolennibus fiebat conteſtatio, his nimirum, *teſtes eſtote.* Perinde vt teſtamento condito, teſtator præſentib. teſtibus, tabulas iam perfectas tenens, & ad teſtes converſus dicere ſolebat: Hæc vt in his tabulis ſcripta ſunt, ita do, lego, ita teſtor. Itaque vos Quirites teſtimonium præbitote, *Vlpian. in fragmento Inſtit. tit. 20. de teſta.* à qua quidem teſtium apellatione, puto teſtamenti nomen primùm deſcendiſſe. Et quidem hic litis conteſtandæ modus, qui teſtibus interpoſitis fiebat, inter alios erat frequentior & vſitatior. Nam quòd & Sacramento depoſito, & ſponſione facta (hoc eſt, datis pignoribus

& fideiussoribus) iudicium interdum suscipe-retur, ex Cicerone, Varrone & aliis vetustioribus apparet, apud quos frequens est illud, Sacramento vincere, & sponsione contendere. Ex quibus contestandæ litis modis tribus, vnicus est hodie conflatus, *auth. offeratur*, *C. de litis cont.* nam in locum Sacramenti, successit iuramentum propter calumniam: in locum sponsionis, fideiussores iudicio sisti: ac denique in locum testium, venit annotatio ad acta. Nunc de vi & effectu litis contestationis.

AXIOMA CLXXVIII.

De vi & potestate litis contestationis.

Princeps ac summa vis potestasque contestationis est, quòd cùm semper vigilantibus iura subveniant, *l. Pupillus in fin. Quæ in fraud. cred.* faciat ea conditionem actoris meliorem, quàm si litem contestatus non esset, vnde Paulus, *Reg. 87. Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem cõtestati sunt, quàm si non essent.* Quæ res ad multos iuris articulos pertinet, & inprimis illuc, quòd actiones alioqui interituras (vt sunt pœnales actiones ex maleficiis, *l. nõ autem de perpet. & temp. actio.* item omnes actiones personales, quarum alię anno, *l. in honorariis. de act. & obl.* aliæ sex mensibus, aut minore temporis spacio finiuntur) faciat perpetuas. Et huius argumenti sunt aliquot regulæ. Primum illa Pauli, *Reg. 84. Nemo*

enim

enim persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit: denique post litis contestationem heredi quoque prospicitur: & heres tenetur ex omnibus causis. Tùm illa Caii regula, *Reg. 128.* *Omnes actiones, quæ tempore aut morte pereunt, semel inclusæ iudicio, salvæ permanent.* Quæ res non aliam habet rationem, quàm quòd in ipsa contestatione sit quidem quasi contractus *l. 3. §. idem de pecul.* (vt ex his, quæ paulò antè dicta sunt, *axio. præced.* intelligi potest) quo se vterque litigantium obliget alteri in id, quod iudicis sententia constituetur: quæ obligatio, quia ex contractu venit, debet & civilis esse & perpetua, *arg. l. 4. de servitut.* adeò vt priorem obligationem quodammodò innovet: &, si temporaria sit, impediat, & interrumpat inchoatam semel præscriptionem, *l. fi. C. de præs. 30. vel 40. an. l. moræ. C. de rei vend.* Sin verò pœnalis sit, facit eam quodammodò rei persecutoriam & transmissibilem in heredem, *l. omnes. de act. & oblig.* adeò vt post litem inchoatam, non tàm prior obligatio, quàm evẽtus litis spectetur, ex quo demum data sententia cõstabit, quatenus actor & reus ex contestatione invicem sint obligati, paratamque eo nomine habeant inter se ex sententia & re iudicata actionem, *l. actori. C. de reb. cred.* non secus quàm ex quovis alio contractu, civilem & perpetuam. Verùm quòd litis contestatio non æquè cursum vsucapionis sistet & remoretur, *l. 2. §. fi. pro emp. l. si post acceptũ de rei vendicat.* vt præsumptionis, *l. sicut. C. de præs. 30.*

an. in causa est, quòd in vsucapione quidẽ spectemus possessionẽ, *l. sine possessione. de vsucap.* quæ naturalis est, & facti, ita vt meritò per contestationem, quæ iuris est, non possit impediri: In præscriptione verò nõ agere, quod iuris est, *l. 4. §. Cato. de verb. oblig.* Iam verò vt ius iure tollitur, ita litis contestatio, quæ iuris est, facilè potuit prȩscriptionem propter non agere currentem, interpellare & interrumpere.

AXIOMA CLXXIX.

De exceptionibus.

Sequitur vt de exceptione videamus, quȩ nihil est aliud, quàm actionis vel intentionis exclusio, *l 2. de exceptio.* vt quia scilicet comparatæ sint ad eos defendendos cum quibus agitur, *tit. de except. in prin. in Insti.* Eunt autem regulæ istius argumenti in hæc ferè capita: Quotuplex sit exceptio, tum quæ sit vis eius ac potestas.

AXIOMA CLXXX.

Quotuplex sit exceptio.

Præter illas exceptionũ divisiones quòd aliæ sint perpetuæ, aliæ temporales & dilatoriæ, *d. tit. de exceptio. §. appellamus.* Item quòd earum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, aliæ ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capiunt, *§. hæc exempli causa. d. tit.* est alia generalior divisio, quòd alia sit facti, alia iuris, *Dyn. ad c. exceptionem, de Reg. in 6. Lagus, titu. de excep.*

except. in prin. Facti, qua de nudo facto ꝓposito excipit reus, vt si dicat actor, occidisti: reus, non occidi: debes, non debeo: quam Cicero lib. 1. ad Herennium depulsionem intẽtionis vocat. Iuris verò, qua de facto quidem fatetur reus, at negat se dare aut facere oportere; quales sunt omnes illæ, de quibus apud Iustinianum in Institutionibus. Nam vt ait, sæpè accidit, vt persecutio qua actor experitur, sit iusta, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. Talis est exceptio doli mali, quod metus causa, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo, iurisiurandi, præscriptionis, & similes, *de quibus omnibus d. tit. de excep.* Et certè in hac specie exceptionis illa oriebat̃ difficultas, an qui de iure excepisset, statim de facto videretur confessus, q̃ res decisa est regulis Canonicis, *Can. 63. Exceptionẽ obijciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.* Tum quòd non sit illud rationi consentaneũ, vt vna eademq; causa cõtrarios effectus in eadẽ re pariat, *Bald. ad l. pro here. de acq. her.* (quod futurũ est, si cùm excipit reus, vt obligationis vinculum à se rejiciat, eadẽ exceptione vinculum & obligationem contrahat) tum quia multa nominatim & expresè facta valeant, quæ nõ item ex obliquo veniant in considerationem, *tit. de exhered. lib. in prin. in Instit.* Si enim apertè confiteatur reus debitum, & tum excipiat, non dubium est quin sibi præiudicet, *l. vn. C. de confess.*

AXIOMA CLXXXI.

De vi & effectu exceptionum.

Effectus exceptionum hic quidem multò maximus & potẽtissimus est, quòd etsi ius quidem tollere funditùs non possit, elidere tamen vtiq; possit, *l. si vnus. §. pactus. de pactis.* vt est actio, litis contestatio, & obligatio, quãdo actionem non habere, aut litem contestatus non esse, aut denique obligationem non acquisisse dicitur, qui in ea causa est, vt ab adversario per exceptionem repelli possit. De actione illud est Pauli responsum, *Reg. 113. Nihil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur*, idque inspecto fine, nam fieri potest, vt si reus exceptionem non opponat, condemnetur, *l. divus. de in integr. restit. Bart. ad d. §. pactus.* De litis contestatione (quòd nimirum ne egisse quidem, aut litem contestatus esse videri queat, qui est per exceptionẽ à limine iudicii repulsus,) illa prodita est Vlpiani regula, *Reg. 13. Non videtur cœpisse*, hoc est, inchoasse iudicium, *qui per exceptionem removetur à petitione.* Nam vt non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectũ: *cap. non præstat de Reg. in 6.* ita qui litis contestatione cursum inchoatæ p̃scriptionis interrupturus erat, si exceptione repulsus est, nihil egit. Denique & obligationibus elidendis non minores vires habet exceptio, vtrinque, à parte quidem debitoris, quando debitor esse non videtur

detur

detur, qui exceptionem habet: nec creditor, qui repelli poteſt. De debitore illa eſt Iuliani regula, *Reg.67.Marcellus ait, Deſinit debitor is eſſe, qui nactus eſt exceptionem iuſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.* Altera eſt Pauli de creditore, *Reg. 116.§.final.Non poteſt videri accepiſſe*: hoc eſt, factus eſſe locupletior, *qui ſtipulatus, poteſt exceptione ſummoveri.* Sunt enim obligationes in bonis noſtris, tùm ſui gratia, quia videlicet ſunt res incorporales; tùm eius quoque gratia quod debetur, nam id in bonis eſſe dicitur, quod peti poteſt, *l.rem in bonis, de acq.re domi.* Verùm paria ſunt non habere, vel habere quidem, ſed ſine fructu, *l.nam is, de dolo.*

AXIOMA CLXXXII.

De replicationibus.

Replicatio perinde elidit & confundit exceptionem, *tit. de replicat. in pri.* vt exceptio actionem: Nam interdum evenit, vt exceptio quæ prima facie iuſta videtur, iniquè noceat, ac tum replicatione adiuvandi actoris gratia opus eſt, veluti cùm pactus eſt aliquis cum debitore ſuo, ne ab eo pecuniam petat, deinde poſtea in contrarium pacti ſunt, hoc eſt, vt creditori petere liceat. Ex quo poſteriore pacto ſuccuritur actori repulſo per exceptionem ex priori pacto naſcentem. Verùm hæc quia nihil ad regulas, aliis locis relinquamus. Proximum modò eſt,

vt de Cumulationibus tum actionum, tum exceptionum videamus.

AXIOMA CLXXXIII.

De cumulationibus.

Cumulationem hîc voco plurium concursum & vsum, vel exceptionum vel actionum. Quæ an simul, an verò altera potest alteram opponi debeat, an deniq; vna qui vsus sit, deinceps exclusus sit à reliquis, in hoc argumento quæri solet. Sed primùm de exceptionibus.

AXIOMA CLXXXIIII.

De cumulationibus exceptionum.

Et quidem olim ita cumulari debebant exceptiones, vt omnes simul & semel apud Prætorem in iure proponerentur, & si quam omisisset reus, de illa nec cognoscere iudex datus poterat, propterea quòd ei formulã à Prætore datam egredi non liceret, nisi ex bona fide clausulam formula contineret, vt priùs dictũ est *suprà axio.167.* hodie tamen quando impetrationibus sublatis, *l.1.C.de formul.* omnia iudicia sunt extraordinaria, *l.pen.de neg.gest.* potest reus omnes quas habet defensiones, ante finitum iudicium proponere (etiam antea in contestatione non allegatas) & vnius probatione destitutus, venire ad aliam, *§. qui autem vult, de excusat. tut.* Et hoc est quod hæ loquuntur regulæ, *Can. 20. Nullus pluribus vti defensionibus prohibetur.*

bibetur. Et in π hæc Vlpiani regula: *Nemo ex ijs qui negant se debere, prohibetur alia defensione vti, nisi lex impediat.* Idq; propter naturalem illam causam defensionis: nam secus est in actionibus, quæ ad oppugnandum sunt comparatæ: naturalior est enim defensio, quàm accusatio seu oppugnatio, *l. vt vim, de iust. & iu. ar. l. Arrianus de actio. & oblig.*

AXIOMA CLXXXV.

De cumulationibus actionum.

Actionum non est ea cumulandi ratio, quæ est exceptionum, sed qui plures habet exceptiones, necesse est vt ex omnibus vnam eligat, qua iudicium contestetur, vnde Vlpianus: *Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, vna tantùm quis experiri debet.* Hoc est, nec omnes simul proponere, nec alia post aliam vti. Non quidem omnes simul, quòd singulis controversiis singulæ actiones tribuendæ sint, ne litium modus multiplicatus summam & inexplicabilem pariat difficultatem. *l. singulis, de except. rei iud.* Non etiam alia post aliam, quòd bona fides non permittat vt bis idem exigetur, *l. bona fides, hoc tit.* Revera tamen illud certum est, quòd per se & ipso iure alia non consumat aliam, nisi fortè per exceptionem, *l. qui servum, de action. & obligatio.* Nam si cui semel plures actiones contra aliquem competierunt, cùm

non

non possint singulis judiciis, nisi singulæ actiones per sententiam finiri, *d. l. singulis.* evenit, vt actio secunda ipso jure, salva & incolumis actori maneat, seu rei persecutoria sit, seu pœnalis: quamquam in pœnalibus ea res melius appareat. Hinc est quod ait Vlpianus, *Reg. 173. Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.* Non quidem ipso jure, vt dixi, sed per exceptionem, *d. l. qui servum, vers. rationabil.* hoc est, ex æquitate, quatenus videlicet posteriore judicio, plus consequi actor potest, quàm est ea actione consecutus, qua vsus est priore loco, eoq; modo fit, vt non impingas in illam regulam, quæ vetat semel exactum iterum exigi, *d. l. bona fides.* Sed hæc res fuit olim inter veteres admodum controverse disputata. At Paulus sensit tutius esse, vt per exceptionē id fieri dicamus, *d. l. qui servum.* Iam ad eas actionum partes veniemus, quæ ad judicem pertinent, nimirum, Sententia, & officium judicis, quorum alterum judicii litisq; cursum claudit, alterum verò totum judicium regit & moderatur. Sed primùm de Sententia dicamus.

AXIOMA CLXXXVI.

De sententia & re judicata.

Sententia differt à re judicata, vt causa ab effectu: Sententiam etenim dicit judex, at verò ex sententia nascitur res judicata, quemadmodum obligatio ex contractu, perindeq; propter

autorita-

autoritatem judicis habetur, vt veritas. Vnde Vlpianus, *Reg. 208. Res iudicata pro veritate accipitur.* Nam seu benè, seu malè judicatum sit, *l. iudex, de re iudi.* publica tamen judiciorum autoritas ad se juris præsumptionem rapit, adeò vt non amplius quæratur de jure actoris aut rei, sed de eo tantum quod est judicatum, sicut in jureiurando, *§. item si quis postulante, de act.* & transactione, *l. sive apud acta, C. de transact.* quæ & ipsa judicati vim habent.

AXIOMA CLXXXVII.

De officio judicis.

In judice primùm illud requirimus, vt officii sui limites non transiliat: tùm vt sit vir bonus. Et quidem officii sui limites egredi dicitur, si quicquam vltra faciat, quàm est ei in formula à Prætore præscripta permissum ac mandatum. Vnde cùm stricti judicii formula stringat arctetq; judicem ad ea sola, quæ sunt in formula nominatim expressa, *suprà axio. 167.* Bonæ fidei verò iudiciorum formulę ob clausulam ex bona fide, latius ad multa etiam non expressa extendantur, fit vt in his quidem ex bono & æquo cognoscens de non expressis, rectè iudicet *suprà d. axiom.* in illis verò non rectè. Et sic intelligo illud Iuliani responsum, *Can. 132. Factum à iudice quod ad officium eius non pertinet, ratum non est.* Et illam regulam in Canonibus, *Reg. 26. Ea quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium, viribus*

non

non subsistunt. Nam judex ad ea tantùm quæ sun in formula à Prætore expressa, judicis perso nam gerit, & publica autoritate fungitur, *l. quippe, de iudiciis*, cætera privatus est. Et hoc est, nisi fallor, quòd hoc genus officii tam arctè strictè que inserviens præscriptis formulis, vocatum sit ab interpretib, *in l. qui per collusionem, § fi. de act. empt.* mercenarium, quasi videlicet non ex libera aliqua, sed tantùm mercenaria & demã data veniat. Alioqui libera illa solutaq; Prætoris potestas, qua & in integrũ restituit, & advocatis medicisq; honoraria adiudicat, nón tam vt judici attributa est, quàm vt est totius Reip quidam veluti custos. Alterum illud quod in judice requirebamus, erat, vt sit vir bonus, *Cice pro. A. Cluentio.* hoc est, vt ne quid ambitiosè aut ad gratiam vel odium faciat, sed constanter, nẽ quid ipse velit, sed quod lex aut religio dictet *tit. de offi. iud. in prin. in Inst.* sequatur. Vnde in Canonibus, *Can. 12. In iudiciis non est habenda acceptio personarum.* Et inde est quòd Athenienses, nisi nocte & in tenebris ad judicium non procedebant, audituri tantùm ea quæ à litigatoribus hinc & illinc afferrentur, nihil personarum rationem habituri. Vnde auritam quidem pinxerunt veteres justitiam, *Gellius in noct. Atti.* attamen cœcam, quòd videlicet auritum oporteat & cordatum esse judicem, non verò etiam oculis indigere. Et hæc hactenus de ipsa regularum œconomia seu dispositione, vt eas in lo-

co-

eos classesq; digessimus, obiter sufficiant. Nam interpretationem & iustum commentarium iamdudum paramus, vt mox, si hæc non displicuisse sensero, suum enchiridion non longo intervallo subsequatur.

FINIS.

